

0076

Ab. 209

IN ORATIO-  
NEM CICERONIS  
PRO MILONE

COMMENTARIUS IOAN-  
*nis Piscatoris Argentiniensis.*




HERBORNÆ  
Apud Christophorum Corvinum.

M. D. LXXXVII.

*h. 210*









3

AD ILLVSTRES AC  
GENEROSOS ADOLE-  
scentes, Wilhelmum & Ludovicum  
á Sein, Comites in Witgenstein &  
dominos Homburgi, fratres germa-  
nos: itemque Wilhelmum liberum  
Baronem á Winnenburg & Beihl-  
stein: Ioannis Piscatoris præfatio.



*VM omnes M. Tullii Ci-  
ceronis orationes eloquen-  
tia nomine laudantur, il-  
lustres ac generosi adole-  
scentes: tum ea quæ pro  
T. Annio Milone extat,  
vel primas videtur tenere. Neq; id mirum:  
non enim ex tempore, ut alia multa, dicta:  
sed domi singulari studio elaborata & scri-  
pta est: idq; ab oratore non adhuc tirone &  
periculum dicendi faciente, sed jam veterano  
& in dicendo triginta circiter annos versa-  
to. Egit enim causam Milonis Cicero anno æ-  
tatis suæ (ut ex historia ejus á doctissimo vi-  
ro Francisco Fabricio Marcodurano scripta  
perspicitur) quinquagesimo quinto: quum*

*cur hæc ora-  
tio primas  
tenuit?*

A ij



anno vigesimo sexto causam P. Quinctii de-  
 fendisset: quæ ejus oratio prima fuisse existi-  
matur. Ac de sua, qua eo tempore prædi-  
 tus fuit, in dicendo exercitatione gloriari  
 ipse non veretur: ubi in Bruto de lege Pompeji  
 quam is tum consul tulerat, loquens: Maxi-  
 mé (inquit, de se & Hortensio agens) perspe-  
 cta est utriusq; nostrum exercitatio paulo an-  
 té, cúm lege Pompeja ternis horis ad dicen-  
dum datis, ad causas simillimas inter se, vel  
potiús easdem, novi veniebamus quotidie.  
 hætenus ille. Veruntamen hanc oratio-  
 nem, ut ex Quinctiliano colligere licet, Cice-  
 ro non dixit: sed aliam quandam brevem:  
 quam ille idcirco oratiunculam nominat:  
quámque illius ætate doctorum hominum  
manibus tritam fuisse, ex eo apparet, quód  
inde in Institutionibus suis semel atq; iterum  
artis dicendi exempla petit. Hanc veró ora-  
 tionem Cicero postea scripsit, quum Milo es-  
 set Massilia: quó condemnatus in exilium  
 profectus fuerat. Ac ferunt Milonem, quum  
 hanc orationem legisset, exclamasse: O Tulli,  
si sic pro Milone dixisses: non vesceretur ille  
jam Massiliae barbatis piscibus. Mirum igitur  
 tur

quando scripta



tur videri non debet, si hæc oratio eloquentiæ laudibus alias multas antecellat: quum eam orator exercitatisimus eo tempore commentatus sit, quo jam re ipsa fuerat edoctus, quid & quo modo dicendum sibi pro Milone cædis Clodianæ reo fuisset.

Hujus autem tam eximiæ eloquentiæ causas ego non in solis artis rhetoriæ ornamentis, quæ sanè plurima & maximè illustra in ea occurrunt: verum etiam in prudentia civili, & vel in primis in prudentia dispositionis logicæ, in logico ratiocinandi acumine, in logica variorum argumentorum inventione pono. Et hæc orationis hujus virtutes hoc commentario studiosis eloquentiæ ostendere studui: quò facilius & majore cum judicio hoc tam illustre exemplum possint imitari.

Vobis autem illustres ac generosi adolescentes, nominatim has meas lucubrationes inscribere & dedicare volui: ut sicut generis nobilitate plerosq; condiscipulos vestros antecellitis, ita etiam pulcherrimarum artium disciplina præstare studeatis: id quod jam aliquot annos tum alibi tum in hac nostra schola Herbornensi fecistis ac facitis: neq; id sine

A ij

qua cæca elo  
quentiæ a X  
mæ.



fructu. Tantos enim jam in literis humanioribus progressus vos fecisse existimo, ut hanc meam orationis hujus explicationem vestro (quod ajunt) Marte sitis intellectuuri. Si quid tamen in ea minus vobis erit perspicuum: habetis præceptorem domesticum, ornatissimum hominem Ludovicum Hofium: qui vos adjuvare poterit: idque eo magis, quod mea docēdi rationi jam diu assuevit, quodque hanc ipsam explicationem ante paucos annos ex me in schola Mærsensi audivit. Accipietis igitur illustres ac generosi adolescentes, à me exiguum hoc munusculum: & in studium honestissimarum artium ac in primis doctrinae Christianae cōstanter & alacriter incumbere pergetis: & dicendi quoque exercitationem conjungetis: ut aliquando (si Deus velit) ad rempub. administrandam tum instructi scientia rerum, tum dicendi facultate præditi accedatis. Valete. Herbornæ, die XX Febr.

I S 8 7.

I N



# IN ORATIONEM

CICERONIS PRO

Milone commentarius.



HANC orationem Cicero non dixit: sed posteaquam Milo jam condemnatus in exilium profectus fuisset, scripsit: ita perfecté, ut quemadmodum Asconio videtur, jure prima haberi possit. quam etiam Quintilianus orationem nobilissimam appellat, l. 11. c. 3. Dixit autem aliam breviorē: quam idcirco Quintilianus l. 4. c. 3. oratiūculā nominat: quę hodie non extat. Porro causę hujus argumentum ex cōmentatione Asconii excerptum sic habet. Quum Milo Lanuvium (ex quo erat municipio, & ibi tum dictator) profectus esset ad flaminem prodendum postera die: occurrit ei circa horam nonam Clodius, paulo ultra Bovillas, rediens ab Aricia, prope eum locum, in quo Bonę deę sacellum erat. Erat autem allocutus decuriones Aricinorum.

Vehebatur Clodius equo: servi xxx ferè expediti (ut illo tempore mos erat iter facientibus) gladiis cincti sequebatur. Erāt cum Clodio præterea tres comites ejus: ex quibus eques Romanus unus, C. Cassinius Schola;

A iiij



duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius: Milo rheda vehabatur, cum uxore Fausta filia L. Syllæ dictatoris, & M. Fusio familiari suo. sequebatur eos magnum servorum agmen: inter quos gladiatores quoque erant: ex quibus duo noti, Eudamus & Byrria. Hi in ultimo agmine tardiùs euntes, cum servis P. Clodii rixam commiserunt. ad quem tumultum quum respexisset Clodius minitabundus, humerum ejus Byrria romphea trajecit. Inde quum orta esset pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus, in tabernam proximam Bovillano delatus est. Milo ut cognovit vulneratum Clodium, quum sibi periculosius illud etiam vivo eo futurum intelligeret: occiso autem, magnum solatium esset habiturus; etiamsi subeunda esset pœna: expugnari tabernam jussit. Fuit antesignanus servorum ejus M. Fustenus (vel, ut alii, Sauphœus) Atque ita Clodius latus extractus est, multisque vulneribus confectus. Cadaver ejus in via relictum (quia servi Clodii aut occisi erant, aut grauter faucii latebant) Sex. Tedijs senator, qui fortè ex rure in urbem revertebatur, sustulit, & lectica sua Romam ferri jussit: ipse rursus eodem unde venerat, gressum recepit. Perlatum est corpus Clodii ante primam noctis horam: infimæque plebis & servorum maxima multitudo



titudo magno luctu corpus in atrio domus positum circumstetit. Augebat autē facti invidiam uxor Clodii Fulvia: quæ cum effusa lamentatione vulnera ejus ostendebat. Major postera die, luce prima, multitudo ejusdem generis confluxit, compluresque noti homines elisi sunt: inter quos C. Vibienus senator. Erat domus Clodii ante paucos menses emta de M. Scauro in Palatio. Eodem Munatius Plancus, frater L. Planci oratoris, & Q. Pompejus Rufus, Syllæ dictatoris ex filia nepos, tribuni pl. accurrerunt: eisque hortantibus, vulgus imperitum corpus nudum calciatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum detulit, & in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus & Pompejus, qui competitoribus Milonis studebāt, invidiam Miloni fecerunt. Populus duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis & tribunalibus & mensis & codicibus librariorum. quo igne & ipsa quoque curia flagravit; & item Porcia basilica, quæ erat ei juncta, ambusta est. domum quoque M. Lepidi interregis (is enim magistratus curulis erat creatus) & absentis Milonis, eadem Clodiana illa multitudo oppugnavit, &c.

Partes hujus orationis sunt sex: exordium, propositio, refutatio, narratio, confirmatio, peroratio.



In exordio studet iudicibus eximere timorem, quem illi videbantur habere propter armatos, á Cn. Pompejo in foro & omnibus in templis, que circum forum erant, collocatos. quod ut commodius & minori cum illorum offensione faciat, primó fatetur seipsum timere: deinde se confirmando, eadem opera ab illis metum amovet: interpretando Pompeji consiliú, cur armatos in foro disposuerit: idq; & pro Milone factum esse ostendit, & causam invidiosé convertit in adversarios.

Primó igitur fatetur suum timorem, e-  
jusque causam exponit, videlicet novam iudicii formam. Secundó de armatis disputat, quo consilio illi á Pompejo in foro sint dispositi. ibi, *nam illa presidia*. Affirmat autem primúm, eos esse collocatos pro Milone contra vim, deinde negat, Miloni esse oppositos. ibi, *qua si Miloni*. Et hanc negationem demonstrat ex causis corrumpentibus, videlicet Pompeji justitia & sapientia. ibi, *Sed me recreat*. Postea demonstrationem concludit. ibi, *Quamobrem illa arma*. Tertió exponit favorem civium erga Milonem. ibi, *Reliqua veró*. Quartó Clodianos in contemptum & odium pertrahere conatur. ibi, *Vnum genus est*. Quintó hortatur iudices, ut quod sentiunt, fortiter pronuntient. ibi, *Quamobrem*  
ad-



*adeſto. Sexto digreditur parumper in que-  
relam de ſuis & Milonis ærumnis & adverſa  
fortuna. ibi, Quid enim nobis.*

**E***t ſi vereor, iudices, ne turpe ſit, pro fortiſſimo vi-  
ro dicere incipientem timere: minimeq; deceat,  
cúm T. Annius Milo ipſe magis de reip. ſalute, quám  
de ſua perturbetur, me ad ejus cauſam parem animi  
magnitudinem aſſerre non poſſe: tamen hæc novi ju-  
dicii nova forma terret oculos: qui quocunq; inci-  
derint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinũ mo-  
rem judiciorum minime vident. Non enim corona  
conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat: non uſitata fre-  
quentia ſtipati ſumus.*

Prima exordii particula: ubi conſeſſio-  
nem ſui timoris amplificat prolepsi. Obje-  
ctio: Turpe eſt, te pro Milone viro forti di-  
centem timere: Ergo non debebas timere.  
Reſponſio: Concedo antecedens: ſed nego  
conſequentiam: quia gravis cauſa eſt quæ ti-  
morem mihi affert, videlicet nova judicii  
forma. Id quod nonnulli ex Aſconio ſic in-  
terpretantur: Pompejum tunc conſulem, ex  
S. C. duas leges promulgaviſſe: alteram de vi,  
qua nominatim cædem in Appia via factam,  
& incendium curiæ, & domum M. Lepidi  
interregis oppugnataſ comprehendit: alte-  
rã de ambitu, pœna graviore & forma judi-  
ciorum breviori propoſita. utraque enim  
lex prius teſtes dari per triduum, deinde uno



die atque eodem & ab accusatore & ab reo perorari jubebat: ita ut duæ horæ accusatori, tres reo darentur. Verúm enimveró quid orator per novam iudicii formam intelligat, ipse in sequentibus declarat: nempe absentiam multitudinis, & præsentiam armatorum. *Etsi vereor*) Notat Quinctilianus lib. 11. cap. 3. hæc prima verba solliciti Ciceronis, contracta & summissa voce dicenda. Et recté. nam sententiæ quæ pronuntiatur, vocem & gestum conformari decet. *fortis. viro*) id est, Milone. *ἔπαινον*. laudatio, sed argumentosa. Reus est fortis: Ergo & patronum decet esse fortem: ac proinde turpe est, hunc timere. *minimeque*) Alterum membrum protaseos periodi, & antecedentis in enuntiato discreto: quod membrum continet prioris membri expolitionem. nam fortitudinem Milonis illustrat antithesi diversorum objectorum, videlicet salutis reip. & suæ: per collationem imparium: qua innuit, Milonem non solum virum fortem, sed etiam reipub. amantem esse. Suum item timorem & antithesi adversorum & collatione imparium illustrat. *tamen*) Redditio periodi, & consequens enuntiatii discreti. *novi nova*) Polyptoton. *veterem*) Novam quam dixit, iudicii formam declarat antithesi adversorum. *non enim*) Declarationis allatæ expolitio per enumerationē duarum

rum



rum partium. *corona*) multitudine populi circumstantis. *metaphora. cinctus*) metaphora à superiore paulum diversa. nam corona dicitur redimiti, cincti autem zona. *non usitata frequentia*) scilicet clientum & amicorum. Similis querela est pro rege Dejotaro.

Nam illa praesidia, quae pro templis omnibus cernitis, etsi contra vim collocata sunt, afferunt tamen oratori horroris aliquid; ut in foro & in iudicio, quanquam praesidiis salutaribus & necessariis septisumus, tamen ne non timere quidem sine aliquo timore possimus. quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori, iudices, nec inter tantam vim armorum existimarem oratori locum esse. Sed me recreat & reficit Cn. Pompeji sapientissimi & iustissimi viri consilium: qui profectio nec iustitiae suae putaret esse, quem reum sententiis iudicum tradidisset, eundem telis militum dedere: nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis auctoritate publica armare.

Quamobrem illa arma, centuriones, cohortes, denunciant, non periculum nobis, sed praesidium: neque solum ut quieto, sed etiam magno animo ut simus, hortantur: neque auxilium modo defensionis meae, verum etiam silentium pollicentur.

Ad secundam exordii particulam transit per prolepsin. Objectio: Pro te & reo collocata sunt in foro praesidia: Ergo non debebas timere. Responsio: Concedo antecedens, sed nego consequentiam: quia iusta causa ti-



moris est rei novitas, quod scilicet armati  
 collocati sunt in foro & in iudicio. *nam*) Par-  
 ticula rationalis hic servit prolepsis ad signifi-  
 candum rationem negationis consequen-  
 tia. *praesidia*) milites armati ad tuendum Mi-  
 lonem collocati. Sic Horat. 2. epist. 2. Praesidi-  
 um regale loco deiecit. *pro templis*) ante tem-  
 pla. *omnibus*) nempe iis quae sunt circa forum:  
 ut Castoris, Vestae, Romuli, Minervae. Sy-  
 necdoche generis. *contra vim*) scilicet Clo-  
 dianorum. *synecd. gen. collocata sunt*) scilicet à  
 Pompejo consule. *quanquam*) Quasi per par-  
 enthesin inculcat repetitionem prolepse-  
 os. non enim est vera parenthesis, quia cum  
 ea cohaeret responsio oratoris, tanquam al-  
 tera enuntiati discreti pars. Videtur autem  
 mihi quidem hic locus mendosus propter  
 obscuram sententiam istorum verborum,  
*Ne non timere quidem sine aliquo timore possimus.*  
 Sanè cohaerentia sententiarum, huiusmodi po-  
 tius verba exigit: *Non afferunt tamen oratori ali-*  
*quid, ut in foro & in iudicio sine omni timore esse*  
*possit.* Nec verò altera mihi lectio probatur,  
 quae sic habet: *Afferunt tamen oratori horroris a-*  
*liquid.* expuncta scilicet negatione, & inter-  
 posito nomine *horroris.* nam apparet, eam ab  
 aliquo profectam, qui hoc modo obscurita-  
 tem huius loci tollere conatus sit. Sed fru-  
 strà, nam nihilominus manet obscuritas. Et  
 lectio



lectionem, *Non afferunt tamen oratori aliquid;* postulant verba sequentia, *Vt possimus.* Eaque extat in veteri libro manu-scripto, quo Lambinus quasi thesauro gavisus fuit, teste Fran. Fabricio: in suis in hanc orationem observationibus: qui etiam hunc locum recte exponit his verbis, *Non afferunt tamen oratori aliquid, id est, nihil praesidii aut adjumenti ejusmodi oratori afferunt, ut omni metu vacuus esse possit. Quae si)* Alia prolepsis. Objection, *Immó praesidia illa Pompejana non sunt collocata pro Milone, sed sunt Miloni opposita.* Respondet negando: ac primúm ostendit, se ita esse persuasum, nempe praesidia illa non esse Miloni opposita: deinde exponit rationes cur ita sit persuasus, atque ita negationem propositam demonstrat. Priús demonstrat syllogismo connexo: *Si putarem, haec praesidia opposita Miloni, cederem temporibus: at non cedo: non igitur puto.* Assumptionem ut non necessariam, & ipso facto testatam omittit. *tempori)* Lambinus judicat legendum, *temporibus. nec inter)* Epexegetis & expolitio per expositionem causae corruptentis. *Sed me recreat)* Iam suae persuasionis rationes exponit, atq; ita negationem propositam demonstrat ex causis corruptentibus duabus. *me recreat & reficit)* facit ut putem haec praesidia non esse Miloni opposita. metonymia effecti. *sapientissimi &*



*justiss. viri consilium*) id est, sapientia & justitia: ut ex sequentibus patet. *profectó*) Asserverantis. *telis*) armis. synecdoche speciei. *multitudinis*) plebis, vel populi. *authoritate publica*) Erat enim tunc Pompejus consul. *Quamobrem*) Conclusio institutæ demonstrationis, illustrata enumeratione partium trium, & antithesi adversariorum, & collatione imparium duplici. *illa*) á Pompejo disposita, de quibus modó dictum: quæ corám videtis. *arma*) armati. metonymia adjuncti. *Præsidium*) defensionem. metonymia efficientis. *quieto*) Nonnulli legendum censent *aquo*, sed *quieto* huc magis quadrat. conatur enim animos judicum quietos reddere, qui timore percussi videbantur. *defensionis*) orationi, patrocinio. synecdoche generis. *silentium*) ne Clodiani obstrepant & acclament. hanc sententiam Cicero re ipsa edoctus inferuit: nam quum brevem illam orationem pro Milone haberet, & dicere inciperet: exceptus est acclamatione Clodianorum: ita ut non ea qua solitus erat, constantia diceret.

*Reliqua veró multitudo, quæ quidem est civium, tota nostra est: neque eorum quisquam, quos undique intuentes ex hoc ipso loco cernitis, unde aliqua fori pars aspici potest, & hujus exitum judicii expectantes, non cüm virtuti Milonis fauet, tum de se, & de*



*de liberis suis, de patria, de fortunis hodierno die de-*  
*certari putat.*

Dixit de se ipso, id est de suo timore: dixit de militibus armatis, id est, præfidiis à Pompejo collocatis: jam sequitur tertia exordii particula, ubi dicit de civibus qui aderant audituri. Commemorat autem illorum erga Milonem favorem: ut & hoc argumento animos judicum consoletur atque confirmet. *Reliqua multitudo*) scilicet auditorum & spectatorum. *est civium*) constat é civibus. *nostra est*) nobis favet, id est, Miloni & mihi patrono. *nostrarum est partium. neque eorum*) Expolitio, illustrans quod dictum est, descriptione civium auditorum é subjecto loco & tribus adjunctis; uno adhærente seu circumstante, videlicet visione seu aspectu judicum, & duobus inhærentibus, intuitu hujus actionis & expectatione judicii. Favorem autem civium illustrat & amplificat partim expositione causæ, videlicet virtutis Milonis. partim expositione effecti, videlicet quod putent à salute Milonis suam quoque & suorum salutem pendere. *intuentes*) scilicet in nos. Est accusativi casus: & referendum est ad cives. *exitum*) eventum: videlicet absolutionem Milonis aut cõdemnationem. *non*) jungendum cum *neque* in membri hujus initio: quæ duæ negationes conjunctæ affirmant.

B



cūm, tum) & & partim, partim. *virtuti Milonis favet*) Miloni ob virtutem favet. *de se, de liberis, &c.*) Anaphora, & ἀσυνέστον κομματικόν. *patria*) Roma. *fortunis*) bonis, possessionibus. ἀ *Fortuna* quæ fingitur divitias donare: *decertari*) scilicet iudicio, id est, disceptari. Synecdoche generis. Sunt enim duo decertationis genera, ut Cic. i. de Offic. tradit: alterum constat jure, alterum vi & armis.

*Vnum genus est adversum infestumq; nobis, eorum, quos P. Clodii furor rapinis & incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit. qui hesternam etiam concione incitati sunt, ut vobis voce præirent quid iudicaretis. quorum clamor, si quis forte fuerit, admonere vos debet, ut eum civem retineatis, qui semper genus illud hominum, clamoresq; maximos pro vestra salute neglexit.*

Dixit de se, de præfidiis Pompeji, de civibus auditoribus: jã sequitur particula quarta, ubi dicit de adversariis Clodianis: quos in odium & in contemptum rapit. Odiũ eis conciliat expositione scelerum: contemptum veró, oppositione fortitudinis Milonis. Inserit autem querelam de concione seditiosa tribuni plebis, T. Munatii Planci: qui (teste Afconio) pridie populum adhortatus erat, ut postera die frequens adesset, & elabi Milonem ne pateretur, mentemque & dolorem suum ostenderet. Præmonet etiam de futuro



to Clodianorum clamore: iudicesque hortatur, ut illum cōtemnant. *genus*) hominum, in hac causa. *eorum*) quod genus est eorum, id est, constat ex iis. ut paulo. antē: Reliqua veró multitudo, quæ quidem est civium. *quos P. Clodii furor, &c.*) Periphrasis Clodianorum ex subjecto, id est, duce cui adhæserunt, & effectis, id est, factis sceleratis avaritię. *P. Clodii furor pavit*) id est, P. Clodius per furorem pavit, videlicet tanquam furiosus dux ad scelera perpetranda. *hypallage. pavit*) aluit sustentavit, ditavit. *qui hest.*) A factione Clodianorum digreditur in querelam de concione tribuni plebis. *hesterna*) heri habita. pridie hujus iudicii. *concione*) oratione tribuni pl. T. Munatii Planci. *incitati sunt*) incensi sunt, commoti sunt, persuasi sunt. *voce præirent*) suo clamore denūtiarent. *quid iudicaretis*) nempe ut Milonem condemnaretis, quippe qui aliās vim vobis facturi essent. *clamor si quis fortē fuerit*) Divinat Cicero, Clodianos clamaturos: id quod divinare ex ipso eventu facile potuit, ut supra admonuimus. *admonere*) Scita inversione utitur: Tantum abest ut clamor Clodianorum vos debeat terrere ad Milonem condemnandum, ut potiús vos debeat admonere de fortitudine Milonis, qui istiusmodi clamores pro vestra salute semper contempsit: ac proinde de gratia Miloni referen-



da, adeoque ipso absolvendo. *genus illud hominum*) scilicet factiosorum & sceleratorum, seditiosorum. *neglexit*) contempsit. Fortasse alludit ad ea quæ accidere in opera navata à Milone ad restituendum Ciceronem.

*Quamobrem adeste animis, iudices, & timorem, si quem habetis, deponite. nam si unquam de bonis & fortibus viris, si unquam de bene meritis civibus potestas vobis iudicandi fuit: si denique unquam locus amplissimorum ordinum delectis viris datus est, ubi sua studia erga fortes & bonos ciues, quæ vultu & verbis sæpè significassent, re & sententiis declararent: hoc profectò tempore eam potestatem omnem vos habetis; ut statuatis, utrum nos, qui semper vestræ auctoritati dediti fuimus, semper miseri lugeamus: an diu vexati à perditissimis civibus, aliquando per vos, ac vestram fidem, virtutem, sapientiamq; recreemur.*

Quinta exordii particula, ubi hortatur iudices ad constantiam & fortitudinem in iudicando. Cohæret autem hæc particula cum superioribus, ut conclusio. hætenus enim causas exposuit, unde & metus tolli & animus confirmari posse videatur: nempe præsidia Pompeji, favorem civium, vilitatem Clodianorum. Porrò hîc exponit complures ad eos confirmandum causas, quarum commemoratione eos movere conatur ut Milonem absolvant: videlicet Milonis virtutem  
&



& merita, & ipsorum summam potestatem, & ante-testatam erga Milonem benevolentiam: denique Milonis diuturnam miseriam & ærumnas. *Quamobrem adeste*) Cōclusio renovata, nam suprà conclusionem eandem fecit in fine particulæ secundæ, exposito consilio præsidiorum Pompeji. ibi, *Quamobrem illa arma. adeste animis*) animo præsentiestote. Sic in Somnio Scip. *Ades, inquit, animo, & timorem omitte. timorem deponite*) omittite. *si quem habetis*) εὐδοκασμὸς, dubitatio ingeniosa, ad significandum se putare, quod iudices non timeant, ac proinde quod magno animo & forti sint: id quod ad eorum laudem pertinebat. *si unquam de bonis & fortibus viris, si unquam de bene meritis civibus*) Epizeuxis vel anaphora. *si unquam, &c. hoc profectó tempore, &c.*) Amplificatio per collationem temporum: Potestatem de talibus reis iudicandi habuistis etiam antehac: sed nunc habetis summam. *delectis*) Ex tribus ordinibus iudices erant delecti: senatorio, equestri & tribunorum ærariorum. *sua studia*) suam benevolentiam, suum favorem, denique suos conatus in illis promovendis. *sententiis*) scilicet pronuntiandis: quod est iudicium. *hoc tempore*) in hoc iudicio. *omnem*) vos estis loco omnium: omnium ordinum locus vobis datus est, ut paulo-anté dixit. *statuatis*) decerna-



tis. nos) ego & Milo. *vestrae auctoritati dediti sui-*  
*mus*) vestram auctoritatem conservare stu-

duimus: quam scilicet Clodius contempsit. est  
 enim tacita antithesis. *semper miseri lugeamus*)  
 scilicet damnato Milone. *vexati*) exagitati.  
*a perditiss. civibus*) Clodio & ejus comitibus.  
 Cicero enim furoribus Clodii cedens, in vo-  
 luntarium exilium iverat. Miloni autem  
 Clodius in petitione consulatus vehemen-  
 tissimé fuerat adversatus. *aliquādo*) tandem a-  
 liquando. *recreemur*) Milone scilicet abso-  
 luto.

*Quid enim nobis duobus, iudices, laboriosius? quid  
 magis sollicitum, magis exercitum dici aut fingi po-  
 test; qui spe amplissimorum premiorum ad rempub.  
 adducti, metu crudelissimorum suppliciorum carere  
 non possumus? Et quidem ceteras tempestates &  
 procellas, in illis duntaxat fluctibus concionum, sem-  
 per putavi Miloni esse subeundas, quód semper pro  
 bonis contra improbos senserat: in iudicio veró, & in  
 eo consilio, in quo ex cunctis ordinibus amplissimi vi-  
 ri iudicarent, nunquam existimaui spem ullam esse  
 habituros Milonis inimicos, ad ejus non salutem mo-  
 dó exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros  
 infringendam.*

Sexta exordii particula, ubi digreditur in  
 querelam de suis & Milonis ærumnis pro  
 repub. deque adversa sua fortuna. Cohæret  
 autem hæc pars cum ultimo membro præ-  
 ceden-



cedentis, ut expolitio: declarat enim nunc suam de qua dixit, & Milonis miseriam, eamque amplificat. Amplificat autem collatione imparium, eamque amplificationem exornat communicatione. deinde amplificat antithesi finis & eventi inter se adversorum, videlicet præmiorum & suppliciorum: eamque antithesin illustrat antithesi priorum adjunctorum vel effectorum, videlicet spei & metus. ut enim præmia sperantur & spem gignunt: sic supplicia metuuntur, metumque pariunt. Postremo miseriam præsentem, videlicet periculum condemnationis, amplificat collatione cæterarum miseriarum, videlicet vexationum, quas jam antè propter Clodianorum conciones fuerat perpessus, tanquam minorum ac tolerandarum: præsens verè periculum à iudicibus, planè indignum esse conqueritur. *nobis duobus*) me & Milone. *quid*) q. d. nihil. q. d. Quæro ex vobis iudices, petoque ut consideretis, num quid sit nobis duobus laboriosius. Cōmunicatio. *quid laboriosius*) pro, quis laboriosior. Synecd. gen. elegās. *laboriosius*) sc. fingi potest. ἰσχυρότερον (q. d.) Anaphora. *magis sollicitum, magis exercitum*) Epizeuxis, & ἀσυνόδετον, serviens τῆν τῶν λόγων γρηγόρησιν (ut Hermogenes vocat) id est orationis celeritati: cui etiā servit ἰσχυρότερον (q. d.) *exercitum*) exagitatū, fatigatū. Participiū à verbo *exerceor*. Sic pro



Plancio: Quo quidem magis sum, non dicam miser, sed certé exercitus. Sic Virgil. 5. Æne. *At Venus in terra Neptunum exercita curis Alloquitur. dici aut fingi potest*) hyperbolica collatio. *qui*) ut qui, quippe qui. *αἰπολογικῶς*, ut sæpe. *spe amplissimorum præmiorum*) quia speravimus pro nostris laboribus amplissima præmia. Intelligit autem (per synecdochen generis) honores seu magistratus, maximé consulatum: in cuius petitionem hæc calamitas Milonis incidit. *ad rempub.*) scilicet gerendam, administrandam. *adducti*) impulsus. *crudeliss. suppliciorum*) id est, exilii. synecdoche generis & integri, ad augendam rei indignitatem. *Equidem*) Sequitur querela de indignitate periculi præsentis, amplificata per collationem minorum. *tempestates & procellas*) vexationes, ærumnas, labores, miserias. metaphora illustres à mari. *fluctibus*) Manet in metaphora. Sic pro Muræna: Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum: quãtas perturbationes & quantos æstus habet ratio comitiorum. *concionum*) scilicet Clodianarum, seditiosarum. *Miloni esse subeundas*) id est, à Milone. Milonem debere illas subire, suscipere. metaphora alterius generis, videlicet ab onere. *quód*) eo quód, propterea quód. *pro bonis*) id est, optimatibus. *contra improbos*) seditiosos,



tiosos, populares. *pro bonis senserat*) bonos de-  
 fenderat, á bonorum partibus steterat. *in ju-  
 dicio veró*) Apodosis antitheseos. *consilio*) cœ-  
 tu judicum consultantium de reo damnando  
 aut absolvendo. Metonymia subjecti: nam in  
 consilio capiendo judices occupantur. Sic i.  
 ad Attic. i. Quæsit ex eo, placerétne ei judi-  
 ces á prætore legi, quo consilio idem prætor  
 uteretur. *ex cunctis ordinibus*) nempe tribus,  
 senatorio, equestri, plebejo. *amplissimi*) clarif-  
 simi & sanctissimi. *nunquam existimavi*) Querit-  
 tur de inopinato atque inexpectato eventu.  
*Milonis inimicos*) adversarios, Clodianos. *spem  
 habituros*) ut scilicet habent. *non salutem modó*)  
 Amplificat collatione imparium: ubi glori-  
 am saluti anteponebat. *salutem extinguendam, glo-  
 riam refringendam*) Symploce. *extinguendam*)  
 delendam, opprimendam. metaphora ab i-  
 gne. *per tales*) nempe tam claros & sanctos.  
 Hoc repetit ad augendum indignitatem rei.  
 nam iniquum est, ut improbi in viris sanctis  
 spem ac præsidium habeant: qui illis potiús  
 terrori esse debebāt judiciorum suorum in-  
 tegritate & severitate. *infringendam*) imminu-  
 endam. metaphora á rebus corporeis fragi-  
 libus. *extinguendam, infringendam*) Epistrophe  
 seu ὁμοιοτέλετον.

*Quamquam in hac causa, judices, T. Annii tribu-  
 natu, rebus omnibus pro salute reip. gestis, ad ejus cri-  
 minis defensionem non abutemur, nisi oculis videri-*



*ris, insidias Miloni á Clodio factas: nec deprecaturum sumus, ut crimen hoc nobis multa propter praecleara in rēp. merita condonetis: nec postulaturi, ut, quia mors P. Clodii salus vestra fuerit, iccirco eam virtuti Milonis potius quám populi Ro. felicitati assignetis. sin illius insidia, clariores hac luce fuerint; tum denique obsecrabo, obtestaborque vos, iudices, si cetera amissimus, hoc saltem nobis ut relinquatur, ab inimicorum audacia telisq; vitam ut impuné liceat defendere.*

Seqtur secūda orationis pars, propositio: ad quā transit per correctionem ejus quod proximé ad Milonem commendādum dixerat, de illius sc. laboribus pro salute reip. susceptis & peractis. Atque ita propositionem amplificat & illustrat antithesi & apodixi: rejicit enim criminis condonationem propter Milonis merita & salutem reipub. ex Clodii morte: & cōtrá promittit, se demonstraturum, insidias Miloni à Clodio factas. *quanquam*) Particula corrigētis. q. d. Sed quid ego Milonis ærumnas pro salute civium susceptas & exantlatas cōmemoro: quasi propter illas absolvere eum debeatis. Syntax. Non abutemur rebus gestis tribunatu Annii, scil. durante, seu in tribunatu, hoc est, tribuno Milone. *non abutemur*) nō utemur. *ἄπο δὲ ὧ-ξίς*, rejectio. Abuti est re quapiam uti ad alienum finem. Significat ergo, Milonem nō eo  
con-



consilio res magnas pro salute reipub. gef-  
 sisse, ut impune esset si quid deliquisset. *tribu-*  
*natu T. Anni*) id est, Milonis. quem gessit anno  
 post Clodium proximo: quo Clodii vim re-  
 pressit. *nisi oculis videritis*) nisi prius demōstra-  
 vero ita ut oculis videre possitis. metonymia  
 effecti. *oculis videritis*) Pleonasmus hīc non est  
 otiosus, sed auget rē & emphasin habet. *nec de-*  
*precaturo*) Expolitio. Repetit *Sto Nic. §iv* merito-  
 rum Milonis, & novam illi annectit, salutis  
 reipub. ex morte Clodii. Utitur autē nu-  
 mero plurali pro singulari per synecdochen  
 integri usitatam: vel potiūs enallagen Gram-  
 maticam. *crimen hoc*) cædem Clodii. *multa pro-*  
*pter*) Trajectio propter numeri oratorii con-  
 cinnitatem. *merita*) Milonis. *condonetis*) igno-  
 scatis, non puniatis. *nec deprecaturo ut condone-*  
*tis, nec postulaturio ut assignetis*) Symploce. *salus*  
*vestra fuerit*) vobis saluti fuerit, vobis salutaris  
 fuerit. metonymia adjuncti ad amplifican-  
 dum: vel enallage Grammatica nominū con-  
 jugatorum. *virtuti*) fortitudini. *synecd. gene-*  
*ris, virtuti Milonis potiūs, quām populi Rom. felici-*  
*tati*) Epanodos. *assignetis*) ascribatis, tribua-  
 tis, acceptam feratis. *sed si*) Expolitionis pars  
 altera, ubi repetit ipsam propositionem: am-  
 plificatam antithesi propositionis alterius  
 quæ ad perorationem pertinet. nam propo-  
 sitio principalis in narratione & confirma-



tione tractabitur. *illius*) Clodii. *insidia*) factæ Miloni. *clariores hac luce fuerint*) clarissimé à me demonstratæ fuerint. Amplificat collatione minoris. *hac*) quam nunc videmus. *ὅτι δὲ κτηκῶς. tum denique*) tum demum, als dann erst. *deniq*, hîc est adverbium temporis: aliâs conjunctio ordinis, qua enumeratio instituta præciditur seu abrumpitur. *si cætera amisimus*) scilicet spem amplissimorum præmiorum, spem obtinendi consulatus. *telis*) armis. *audacia telisque*) audacia telorum, id est, armatorum. *ἐν δὲ δύο. vitam ut*) Trajectio. *impuné*) tutó. absque metu pœnæ.

*Sed antequam ad eam orationem venio, quæ est propria vestra questionis, videntur ea esse refutanda, quæ & in senatu ab inimicis sæpe jaçtata sunt, & in concione ab improbis, etiam pauló anté ab accusatoribus: ut omni errore sublato, rem plané, quæ vénit in judicium, videre possitis.*

Sequitur tertia pars orationis, refutatio: quæ continet tres partes: quarû singulis singula adversariorum argumenta refutat. quorum arguméntorum primum erat, quód non liceat occidere indemnatum. *ibi, Negant intueri.* alterum, á senatus-consulto, quód senatus judicasset, cædem Clodii contra rem-pub. esse factam. *ibi, Sequitur illud.* tertium á lege Pompeji, quód Pompejus legem tulisset, ut de cæde Clodii quæreretur. *ibi, At enim*

*Cn. Pom-*



*Cn. Pompejus.* Transit autem ad refutationem propositione qua illam promittit: eamque propositionē illustrat antithesi alterius propositionis, quæ ad confirmationem pertinet, quam post refutationem rejicit: atque ita de methodo ac ordine dicendorum iudices admonet, ad illos dociles reddendos. Præterea propositionem refutationis illustrat distributione tripertita: quæ distributio partim à personis efficientibus, id est, argumentorum refutandorum authoribus, partim à subiectis locis, ubi illi ista dixerunt, partim denique ab adjuncta circumstantia temporis, quo illa ab istis dicta fuere, sumta est. Postremó annectit amplificationem propositionis à fine, id est, à consilio suo refutantis antè quàm confirmet. *Sed antequam) Στοδίσωξις*, rejectio, non simpliciter & omnino, sed in posteriorem locum. *eam orationem quæ est propria nostræ questionis*) id est, narrationem & confirmationem insidiarū Clodii, de quibus in hac causa quæritur. periphrasis synecdochica. *Videtur]* *Propositio refutationis. refutanda)* diluenda. *quæ & in senatu, &c.)* id est, argumenta adversariorum. periphrasis synecdochica ex distributione. *& in senatu)* Conjunctio ET hîc servit distributioni seu partium enumerationi. *in senatu)* Loca ubi adversarii sua argumenta proposuerant, nominat duo, senatum, id est,



turiam: & concionem, id est, forum. Nisi potius dicendum est, hic indicari personas coram quibus adversarii argumenta sua dixerunt, videlicet senatores & populum: ac proinde notari subjecta seu objecta. *ab inimicis*) scilicet Milonis, id est, Clodianis. Personas efficientes enumerat triplices: inimicos, improbos, & accusatores. quæ partitio non est accurata: nam utique ipsi quoque accusatores inimici erant, & improbi à Cicerone habebantur. *sæpe*) Tempora notat duo alterum remotius, alterum propinquius: seu vetustius & recentius: quorum posterius notat his verbis, *paulo-antè. jactata*) plenis buccis decantata, confitenter pronuntiata. *paulo ante*) paulo ante hoc temporis momentum. ellipsis. nam Ciceroni patrono mox accusatione absoluta dicendum erat: & tunc duæ tantum horæ accusatoribus Milonis concessæ erant lege Pompeji: defensori verò tres. *ab accusatoribus*) II fuerunt, teste Asconio, Appius major, & M. Antonius, & P. Valerius Nepos. *ut omni*) Finem indicat sui propositi, cur prius velit argumenta adversariorum refutare, quam sua confirmet. *errore*) qui fortè natus est ex argumentis adversariorum, quo scilicet Milo malam habere causam videtur. Omnino legendum *errore*, ut ex hac expositione liquet: non autem terrore. sublato) ex mentibus iudicum,

cum,



cum, mea adversariorum argumentorum refutatione. nā causa sublata, tollitur effectus: *rem quæ venit in iudicium*) de qua vobis iudicandum est. *plané*) perspicuè, evidenter. *Videre*) intelligere. metaphora usitata.

*Negant intueri lucem esse fas ei, qui á se hominem occisum fateatur.*

Hactenus refutationis propositio: sequitur refutationis pars prima: ubi primùm argumentum adversariorum recitat: deinde octo argumentis illud refutat: ut suis locis deinceps notabimus.

*Negant*) scilicet adversarii. *intueri lucem*) vivere. metonymia effecti. *fas esse*) licitum esse, licere, æquum esse. Sic Græci, ἡ δέμῆς, non est fas. *occisum esse*) scilicet indemnatum. *fateatur*) ut scilicet fatetur Milo. unde adversariorum primum argumentum hoc syllogismo concluditur:

*Nemini qui fatetur á se hominem occisum, vivere fas est.*

*At Milo hominem (videlicet Clodium) á se occisum fateatur.*

*Miloni igitur vivere fas non est.*

*In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant? nempe in ea, quæ primum iudicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri: qui nondum libera civitate, tamen populi Rom. comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur.*



Refutationem primi argumenti aggreditur vehementi adversariorum ob stultitiam objurgatione: quæ objurgatio exornata est communicatione per interrogationem & responsionem: quæ responsione continetur primum refutationis argumētum ab exemplo speciali M. Horatii, qui interfecerat sororem. Enthymema: M. Horatio licuit interficere sororem. Ergo interdum licet hominem interficere. Antecedens confirmat testimonio, videlicet judicio populi Romani, qui Horatium absolvit. Hanc confirmationem amplificat á circumstātia temporis per collationem imparium: Horatius absolutus est eo tempore quo civitas nondum erat libera: quāto magis fuisset absolutus, si civitas libera fuisset? *tandem*) vox indignantis & stomachantis. Sic pro Muræna, quum recitasset argumentum adversarii Catonis: *Negat fuisse rectum Cato &c.* tum subdit pauló póst: *A quo tandem, M. Cato, est æquius consulem defendi, quàm á consule? urbe*) Obiter innuit laudem urbis Romæ, id est populi Romani seu civium Romanorum, ut qui jura optimé intelligant. q. d. Si istud argumētum apud homines juris imperitos objiceretur, fortasse consequeretur assensum: at in urbe Roma, ubi populus est juris intelligētissimus, quis illi argumento fidem habeat? *homines stultissimi*) accusatores

res



res Milonis *διαβολή*, calumnia. vel potiús *πραχύτης*, asperitas. Est enim aspera hæc ob-  
 jurgatio. *disputant*) loquuntur. *nempe*) Respon-  
 sio. *in ea quæ, &c.*) id est, in urbe Roma. peri-  
 phrasis ex adjunctis, argumentosa. jam enim  
 stultitiam adversariorum in illo argumento  
 demonstrat, afferens primum argumentum  
 refutationis. *quæ vidit*) Vrbs vidit, id est, ci-  
 ves Romani viderunt. metonymia subjecti.  
*primū judicium*) scilicet populi, ut pauló post:  
 Populi Rom. comitiis liberatus est. *de capite*)  
 de crimine capitali. metonymia causæ finalis:  
 nam crimen capitale dicitur, quo petitur ca-  
 put, h. e. vita rei. *M. Horatii fortiss. viri*) qui tres  
 Curiates interfecerat. *nondum libera civitate*)  
 Subaudiendum participium inusitatum ver-  
 bi substantivi. *μήπω ἐλευθερίας ἔσσης τῆ πόλεως.*  
 quum civitas nondum libera esset: nempe  
 sub Tullo Hostilio tertio rege. *civitate*) scili-  
 cet Romana. synecdoche generis. *populi Rom.*)  
 ad quem provocaverat judicium, quū á Tul-  
 lo rege damnatus esset: teste Valer. Max. lib.  
 8. cap. 1. *comitiis*) suffragiis comitiorum. *libe-*  
*ratus est*) absolutus est. Sed orator de industria  
 usus videtur hoc verbo propter paronoma-  
 siam, & speciem contradictionis: *nondum libe-*  
*ra civitate, tamen liberatus est. sororem*) Horati-  
 am. *interfectam*) Historiam recitat Cicero lib.  
 2. de Invent. his verbis: Horatius occisis tri-

C



bus Curiatibus, & duobus amissis fratribus, domum se victor recepit. Is animadvertens, sororem suam de fratrum morte non laborantem, sponsi autem nomen appellantem identidem Curiatis, cum gemitu & lamentatione, indigné passus virginem occidit.

*An est quisquam, qui hoc ignoret, cum de homine occiso queratur, aut negari solere omnino esse factum, aut recté ac jure factum esse defendi? nisi veró existimatis dementem P. Africanum fuisse, qui cum á C. Carbone trib. pl. seditiosé in concione interrogaretur, quid de T. Gracchi morte sentiret, respondit, jure casum videri.*

Secundum argumentum, ab auctoritate judiciorum: quæ testimonio Africani & exemplo Gracchi confirmatur. *an est quisquam qui hoc ignoret*) Obiter confirmat secundum argumentum á testimonio vulgi. *queratur*) Videtur potiús dicendum *queritur*: nam *cum queratur* usitaté idem valet quod *quoniam queritur*. at hinc dicere vult orator, *quando queritur. wann man fraget. nempe in judicio, vor gericht. nisi veró*) Confirmatio argumenti secúndi. *nisi veró existimatis*) scilicet id quod vos existimare non puto, *es sey danis daß ihr meynet. dementem*) stultum, imperitum rerum. metaphora hyperbolica. *in concione*) apud populum. *T. Gracchi*) scilicet á Natica

lica



fica interfecti in tribunatu, anno V. C. 621. casum) occisum.

*Neque enim posset aut Abala ille Servilius, aut P. Nasica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos cives interfici nefas esset.*

Tertium argumentū ab exemplis quinque; *Abala ille Servil.*) qui Spurium Melium suspicionē affectati regni occidit. Liv. lib. 4. Cic. ad Papyrium Petum & Q. frat. P. Nasica) quo duce Tib. Gracchus occisus est. L. Opimius) qui C. Gracchum interfecerat. C. Marius) a quo L. Saturninus occisus est. *me consule*) in meo consulatu, quum ego essem consul. *senatus*) sc. qui mea auctoritate conjuratos Catilinæ occidit, Lentulum & Cethegum. *nefas esset*) non fas esset, non liceret.

*Itaque hoc, iudices, non sine causa fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciscendi causa matrem necavisset, variatis hominum sententiis non solum divina, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum.*

Quartum argumentum ab exemplo Orestis fabuloso: quod iudicio Minervæ confirmatur. *non sine causa*) non temerè, sed sapienter. *doctiss. homines*) id est, poetæ. periphrasis ex adjuncto, synecdochica. *memoriæ prodiderunt*) scriptum reliquerunt. *eum*



qui patris, &c.) id est Orestem. periphrasis ex facto & facti causa. *patris*) Agamemnonis. *matrem*) Clitemnestram. *variatis*) variantibus, discrepantibus. *hominum*) Areopagitarum, senatorum Atheniensium: qui erant numero quinquaginta & unus. quare Minerva quum videret, Orestem sententiis viginti sex condemnari, & viginti quinque absolvi: suum suffragium addidit, ut pari numero absolveretur. *non solum divina*) scilicet sententia. id est, deæ qualiscunque, deæ vulgaris. Amplificatio per collationem minorum. *de a sapientissima*) scil. Minervæ. periphrasis é proprio adjuncto. *liberatum*) absolutum esse.

Quod si duodecim tabule nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impuné voluerunt: quis est, qui, quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat aliquando nobis gladium ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus?

Quintum argumentum, á specie ad genus: Furem licet occidere: ergo & hominem. Antecedens confirmatur autoritate legis xii. tab. cujus verba fuerunt: Si nocte furtum factum sit: si in aliquis occidit, jure cæsus esto. Macrobius. lib. i. cap. 4. Saturnal. *duodecim tabule*) leges xii. tabularum. metonymia subiecti. & *leges* id est una ex illis legibus: synecdoche integri. *nocturnum*) noctu deprehensum.

quo-



*quoquo modo*) sive se defenderit, sive non: indistincte, ohne Unterscheid. *diurnum*) interdium deprehensum. *telo*) armis. *synecdoche speciei*. *impune*) absque metu poenę. *voluerunt*) permiserunt, scilicet tabulę seu leges, h. e. legum illarum latores. *metonymia effecti*. *gladium porrigi*) occidendi potestatem dari. *metonymia effecti destinati*: & simul *metaphora illustris*, qua rei inanimatę actus humanus tribuitur. *ipsis*) emphaticę, ad innuendum ratiocinatione a minori. q. d. Si ipsę leges permittunt aliquando hominem occidere: quanto magis id nos permittere debemus?

*Atqui si tempus est ullum jure hominis necandi, quę multa sunt; certę illud est non modo justum, verum etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris: interfectus ab eo est, cui vim afferebat. facere enim probus adolescens periculosę, quam perpeti turpiter maluit: atq; hunc ille vir summus scelere solutum periculo liberavit.*

Sextum argumentum, a specie ad genus: Licet necare eum qui vim infert: Ergo licet interdum hominem necare. Antecedens illustrat exemplo militis Mariani, cui nomen erat Trebatio: qui C. Luscum tribunum militarem sibi vim afferentem interfecit. hoc exemplum confirmat iudicio C. Marii. *atqui*)



Videtur legendum *atque. si tempus est ullum*) scilicet sicut esse modo demonstratum est ex legib. xii. tab. Sic á quinto argumento ad sextum transit per collationem imparium. q. d. Si licet occidere furem: ergo multo magis cum qui vim infert. *quæ*) sc. tempora. *illud*) scilicet tempus hominis necandi. *non modo iustum*) legitimum. amplificat collatione maioris. *necessarium*) Necessitas autem non habet legem. *necessarium*) scilicet ad vitam tuendam. *vi vis*) Polyptoton. *defenditur*) propulsatur, arcetur. Sic Virgil. eclog. *Pecori solstitium defendite. Pudicitiam*) Sequitur brevis narratio exempli. *pudicitiam cum eriperet*) id est, eripere conaretur. Notatur hinc monstrosa & nefanda libido, propter quam Sodomitæ igne cœlitus demisso á Deo puniti sunt: Genes. 19. Eos qui hoc flagitium perpetrant, Apost. Paulus vocat *ἀσέβειοι*, id est, qui cum masculis concumbunt, 1. Corinth. 6. 9. eamque fœditatem detestatur Rom. 1. 27. Profani scriptores *παῖδες* vocant, id est puerorum amatores: ipsumque flagitium *παῖδες*, puerorum amorem. *militi*) cui-dam, Trebatio. *tribunus mil.*) C. Luscus. *propinquus*) qui tribunus militum propinquus erat Marii. Hoc addit ad amplificandū, innuens ratiocinationem á minori. q. d. Si C. Ma-

rius



rius etiam propinquum suum, eó quód vim inferret, jure cæsum judicavit: quanto magis ita judicasset, si iste propinquus non fuisset, sed alienus? *ejus imp.*) C. Marii. *cui vim afferebat*) cui per vim eripere pudicitiam conabatur. *synecdoche generis. vel metonymia effecti destinati. facere*) Obiter exponit facti causam illustratam prolepsis: atque ita adolescentem laudat. ab amore virtutis ac honestatis: ut cuius majorem rationem haberit, quám vitæ. *probus*) pudicus. *synecdoche generis. adolescens*) miles ille cui tribunus vim afferebat. *periculosé*) cum periculo capitis. quum enim vim vi repelleret: periculum erat, ne vel statim á tribuno qui vim inferebat, ipse preventus occideretur: vel certé tribuno interfecto á C. Mario imperatore, ut qui propinquum suum esset ulturus. *perpeti turpiter*) perpeti turpem ac fœdam istius tribuni libidinem. Sic Origenes maluit sacrificare idolis, quám fœdam militum libidinem perpeti. Sic uterque ex duobus malis id quod sibi minus visum est, elegit: sed erravit uterque: quum nemo alterius libidine inquinetur, nisi consenserit. quare reniti quidem uterque debuit, quantum potuit: sed nec ille tribunum occidere, nec iste idolis sacrificare. non enim sunt facienda mala ut eveniant bona



quam regulam tradit Apostolus Rom. 3. 8. *atque hunc*) Confirmatio exempli. *hunc*) adolescentem, militem. *ille vir summus*) Marius. periphrasis ex adjuncta præstātia ingenii & virtutis, ad conciliandum testimonio auctoritatem. *scelere solutum*) innocētem judicatum, *periculo liberavit*) absolvit.

*Insidiatori veró & latroni quæ potest afferi injusta nex? quid comitatus nostri, quid gladii volunt? quos habere certé non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Est enim hæc, judices, non scripta, sed nata lex; quã non didicimus, accepimus, legimus: verúm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus; ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expedienda salutis. silent enim leges inter arma; nec se expectari jubent, cùm ei, qui expectare velit, anté injusta pœna luenda sit, quã justa repetenda.*

Septimum argumentum, quod tamē pro sexti parte altera haberi potest: item á specie: Licet occidere insidiatorem: ergo interdum licet occidere hominem. Antecedens confirmat primū á destinato: Licet habere gladios: ergo licet insidiatorem occidere. deinde ab auctoritate legis nature: quam amplificat prolepsis de expectanda auctoritate legum

gum



gum scriptarum. *insidiatori*) ei qui vitæ nostræ  
 insidiatur, sicario. *quæ*) q. d. nulla: sive publica,  
 sive privata. *nex*) cædes. *quid comitatus*) Proba-  
 tio prima á destinato. *comitatus*) servi, qui nos  
 comitantur. *quid*) Epizeuxis. *quid volunt?*) q. d.  
 nónne volunt vitam nostrã contra vim si qua  
 inciderit, tueri? *gladii volunt*) h. e. quid nos vo-  
 lumus, quum gladios gestamus. metonymia  
 adjuncti, vel metaph. illustris. *quos*) gladios.  
*habere*) gestare. *uti illis*) nempe ad hominẽ oc-  
 cidẽdum. synecdoche generis. *nullo pacto*) nul-  
 lo tempore, in nullo casu: ut loquũtur juris-  
 consulti. *liceret, liceret*) Epistrophe seu ὁμοιοτέ-  
 λειον. *Est enim*) Altera probatio á lege natu-  
 ræ. In hac autem periodo cõcinnitatem ver-  
 borum confectatum se scribit Cicero in O-  
 ratore ad Brutum: quód verba ibi casus ha-  
 beãt in exitu similes: quód paria paribus red-  
 dantur: quód opponantur contraria. *scripta*)  
 ab homine lata. Sic Justinianus Instit. lib. i.  
 τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἀγραφοι, id est, le-  
 gum aliæ scriptæ sunt, aliæ non-scriptæ. *na-  
 ta*) nobiscum nata, naturæ nostræ insita, vel  
 menti nostræ á natura insita. *hausimus*) meta-  
 phora ab aquis putealibus. *expressimus*) meta-  
 phora á liquore in spongia contento. *imbuti*)  
 metaph. á succis quibus imbuuntur teste, aut  
 lanæ: ut Horat. l. epist. 2. Quo semel est imbu-  
 ta recens, servabit odorem, Testa diu. Imbu-



endi verbo aliâs notat institutionem, cui hîc opponit. ut in Philos. Adeone dialecticis ne quidem imbutus es? Sic Horat. 2. epist. 2. Litterulis græcis imbutus. *vita nostra*) nos ipsi. metonymia adjuncti. *insidias*) hostes insidiantes. idem tropus. *vim*) vim inferentes. idem tropus. *tela latronum*) telis armatos latrones. idem tropus. *omnis honest.*) Syntaxis: *omnis ratio expedienda salutis esset honesta.* id est, ut quævis ratio conservandæ salutis haberetur justa & licita. *silent*) Amplificat prolepsis. Objectio: Immò si quis in insidias incidit, expectare debet iudicium legum scripturarum. Hoc orator negat: & negationis rationem affert ab eventu pernicioso. qui enim insidiis circumventus, ~~expectare velit iudicium legum scripturarum, is contra jus afficietur damno, priusquam justam pœnam ab insidiatore possit repetere iudicio legum.~~ *silent*) nō exercent suam vim. metaph. *leges silent*) id est, iudices silent, qui secundum leges iudicant. metonymia subjecti. *se expectari*) iudicium expectari. *expectare*) legum iudicium & auxilium. *injusta pœna luenda, justa repetenda*) Symploce. *injusta*) dum contra jus ab insidiatore opprimitur. *repetenda*) reposcenda per leges ab eo qui injuria affecit, qui insidias struxit.

*Etsi persapienter, & quodam modo tacité dat ipsa  
lex*



*lex potestatem defendendi: quæ non modò hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causa vetat: ut, cum causa, non telum quæreretur: qui telo esset usus, sui defendendi causa telo usus esse, non hominis occidendi causa telum habuisse judicaretur.*

Octavū argumentum, ab authoritate legis scriptæ: cuius verba accuratè ponderat, argumentando à disparatis finibus: Lex vetat cum telo esse hominis occidendi causa: Ergo non simpliciter vetat esse cū telo, & per consequens nec simpliciter vetat uti telo: sed videtur tacitè permittere, ut quis telum & habeat, & eo utatur sui defendendi causa. Potest etiam dici argumentū à destinato: nā expressa ista unius finis vetatio in lege (nempe, ne quis hominis occidendi causa cū telo sit) videtur huc spectare, ut intelligatur tacitè permitti finem disparatum, nempe usum teli defendendi sui causa. *et si*) Hoc argumentū superiori annectit per correctionē. q. d. Quid dico, cædem sui defendendi causa cōmissam à lege naturæ permitti: immò permittitur etiam à lege scripta: si quis verba legis accuratè examinet. *dat*) cōcedit. *ipsa lex*) sc. scripta. nempe lex de cæde omittenda. synecd. gen. duplex. *ipsa*) q. d. non solum lex naturæ, sed etiam lex scripta: id quod minús videbatur, *quæ non hominem occidi*) Al. *non modò hominem occidi.* Sed particula *modò* videtur delenda,



ut recté Lambinus admonet. quippe si relin-  
 quatur, parit contradictionem: nam si lex ve-  
 tat hominem occidi, quomodo igitur Cice-  
 ro verba legis sic interpretatur, q̄ Lex per-  
 mittat hominē occidi, dūmodo quis occide-  
 rit sui defendendi causa, non autem ex infi-  
 diis. Huc facit, quód ut hīc opponuntur ista  
 duo, tanquam diversa: nempe, *hominem occidi,*  
*& esse cum telo hominis occidendi causa:* ita mox  
 pari ratione opponuntur, eadem scilicet sen-  
 tentia aliis verbis repetita, *causa & telum:* h. e.  
*causa teli, nempe an quis cum telo fuerit ho-*  
*minis occidēdi causa, & teli usus, h. e. an quis*  
*telo hominē occiderit. non hominem occidi*  
*vetat) Vult dicere, verba legis de cæde non i-*  
*ta sonare: Ne quis hominem occidito: sed ita, Ne*  
*quis hominis occidēdi causa cum telo esto. cū causa,*  
*non telum quæreretur) cū de causa teli quære-*  
*retur, nō autē de telo ipso aut ejus usu. nem-*  
*pe ob quam causam cum telo quis fuerit, aut*  
*telo usus sit: non autem simpliciter, an cū te-*  
*lo fuerit, telove usus sit. qui telo esset) Ego hīc*  
*probo lectionem vulgatam, quę sic habet: qui*  
*sui defendendi causa telo esset usus, non hominis occi-*  
*dendi causa habuisse telum judicaretur. Hanc le-*  
*ctionem veram esse, ex verbis præcedentibus*  
*colligi potest: cum quibus planē consentit.*  
 Altera veró lectio, nempe, *qui telo esset usus, sui*  
*defendendi causa telo usus esse, non hominis occiden-*  
*di causa telum habuisse judicaretur; hæc inquam*



lectio & falsam sententiam affirmat, & ex præcedentibus, unde deducitur, non consequitur. nam falsum est hoc enuntiatum, *Qui telo usus est, is sui defendendi causa telo usus esse, non hominis occidendi causa telum habuisse judicandus est.* Nec sequitur: Lex vetat cum telo esse hominis occidendi causa: ergo qui telo est usus, is sui defendendi causa telo usus esse, non hominis occidendi causa telum habuisse judicandus est. Contrá verum aut saltem verifimile est: *Qui sui defendendi causa telo est usus, is non habuit telum hominis occidendi causa.* Item consequentia bona est: Lex vetat cum telo esse hominis occidendi causa, non autem vetat telo se defendere: Ergo qui sui defendendi causa telo usus est, is judicandus est, non habuisse telum hominis occidendi causa.

*Quapropter hoc maneat in causa, iudices. non enim dubito, quin probaturus sim vobis defensionem meam; si id memineritis, quod oblivisci non potestis, insidiatorem jure interfici posse.*

Concludit duo postrema argumenta, & hortatur iudices, ut hujus conclusionis sint memores: significatque, se hac conclusione pro fundamento seu firmamento suæ defensionis usurum. Quod ut planius intelligatur, sciendum est, defensionem Ciceronis in hac causa hoc principali syllogismo contineri.



*Insidiator jure occiditur.*

*Clodius fuit insidiator, seu insidiatus est Miloni.*

*Ergo Clodius á Milone jure est occisus.*

Hujus syllogismi propositio jam est disputata & confirmata postremis duobus argumentis Refutationis, nimirum partim á lege naturæ, partim á lege scripta: Assumptio confirmabitur póst, partim in Narratione, partim in Confirmationis priore parte. *quapropter*) Particula concludēdi, *μὲν οὖν συλλογιστικόν.* *hoc*) hæc sententia, nempe insidiatorem jure interfici posse. *maneant in causa*) approbetur á vobis in hac causa, tanquam verum & ratum. *nō enim dubito*) *ἐπιχειρησις*, pollicitatio cōfidens. *defensionem meam*) qua defendo Milonē contra crimen cædis Clodii. *quod oblivisci non potestis*) Hęc verba vim habent correctionis, & significationem fiducia oratoris. *nō potestis*) utpote já á me clarissimis argumentis demonstratum, maximé á lege naturæ: quæ neminem sui oblivisci patitur.

*Sequitur illud, quod á Milonis inimicis sæpissimé dicitur; cædem, qua P. Clodius occisus est, senatum judicasse contra rempub. esse factam.*

Transit ad secundum argumētum adversariorum: qui Milonem ideo damnandum dicebant, quód senatus judicasset eum fecisse contra rempub. Huic senatusconsulto Ci-

cero



cetero primūm opponit sententiam ejusdem  
 senatus contrariam. ibi, *Illam veró*. Deinde de  
 sententia S. C. disputat: negatque verba illius  
 sic intelligenda esse, quasi ipse Milo quū Clo-  
 dium occideret, contra rempub. fecerit: sed  
 quód illius defensio propter vim adjunctam,  
 contra rempub. evenerit. ibi, *Cur igitur incen-  
 dium*. Tertió redit ad sententiam illam con-  
 trariam senatus: & cōqueritur, illud S. C. ne-  
 cessitate expressum esse. ibi, *Quod si per furio-  
 sum. Sequitur illud*) scilicet ad refutandum. *ca-  
 dem, qua &c.*) cædē Clodii. periphrasis ad ca-  
 vendum obscuritatem ex ambiguitate. nam  
 genitivus ejusmodi nunc passivē, nunc activē  
 intelligitur: id est, nunc patientē, nunc agen-  
 tem notat. *judicasse*) nepe facto senatuscon-  
 sulto, in quo ista verba scripta sint: Cædē qua  
 P. Clodius occisus est, contra rempub. esse  
 factam. *contra rempub.*) contra leges & salu-  
 tem reipub.

*Illam veró senatus non sententiis suis solūm, sed  
 etiam studiis comprobavit.*

Secundi argumēti prima refutatio, á con-  
 trario: Senatus cædem Clodii comprobavit:  
 non igitur judicavit, ejus authorem fecisse  
 contra rempub. Antecedens amplificat col-  
 latione imparium: Comprobavit non solūm  
 sententiis, sed etiam studiis. ubi observa plus  
 esse studium quàm sententiam: sæpe enim ali-  
 quis sententiam pro altero pronuntiat, i-



psa iustitia ductus: licet illius saluti non studeat. *comprobavit*) iusté factam iudicavit.

*Quoties enim est illa causa á nobis acta in senatu? quibus assensionibus universi ordinis? quám nec tacitis nec occultis? Quando enim frequentissimo senatu quattuor, ad summum quinque sunt inventi, qui Milonis causam non probarent?*

Expolitio, per circumstantiam temporis: *Comprobavit aliquoties. deinde per adjunctum numerum: Assensit universus ordo, id est, assenserunt senatores omnes. tertió per negationem adjunctorum contrariorum: Assensiones illæ nec tacitæ fuerunt, nec occultæ. quartó per antithesin contrariorum & collationem imparium: Maxima pars senatus causam Milonis approbavit: minima pars, nempe quattuor aut quinque, improbarunt. quoties) q. d. sæpissimé. Communicatio: Revocat iudicibus in memoriam quid in hac causa sit actum. illa causa) scilicet cædis Clodianæ. á nobis) á vobis & á me. quibus) Polyptoton: *quoties, quibus, quám, quando.* Estque species anaphoræ. *ordinis)* senatorii. *synecdoche generis. quám nec tacitis, nec occultis)* pro, quám apertis & manifestis. *λιτότης. quando)* q. d. nunquam. *frequentissimo senatu)* Ablativi absoluti, deficiente participio verbi substantivi inusitato. id est, quum senatus frequentissimus esset, quum plurimi senatores coacti essent.*

qua-



*quatuor, ad sum.*) pro, quatuor, vel ad summū. ellipsis. Nominantur autem ab Asconio duo tribuni pl. Munatius & Rufus: ex senatoribus autem Q. Fufius Calenus. *Milonis causam*) cædem Clodii à Milone factam. *synecdoche generis. probarent*) comprobarent, approbarent.

*Declarant hujus ambusti tribuni pleb. illæ inter- mortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiosè criminabatur; cum diceret, senatum, non quod sentiret, sed quod ego vellem, decernere.*

Quod dixit de sententia senatus in causa Milonis, confirmat testimonio: videl. confessione cujusdam ex adversariis, nempe Munatii tribuni pl. quæ cōfessio simul criminatiōnem potentiæ Ciceronis continet, tanquam causæ efficientis, unde illa sententia senatus profecta sit. Hoc igitur crimen Cicero per digressiunculā diluit, ad invidiam declinandam. *declarant*) demonstrant, verū esse quod dixi, causam Milonis à senatu esse probatam. *Declarare pro demonstrare seu probare* per *synecdochen generis* positum est, eamq; *καταχρηστικῶς*: nam nativa significatione eam docendi rationem significat quæ probationis est experta. Sic i. Offic. Declaravit id modo temeritas C. Cæsar. id est, demonstravit. *hujus*) *δεικτικόν*. videtur eum digito monstrasse, in iudicio præsentem. *ambusti*) Ambustum vocat,

D



quod curia incensa ex cadavere Clodii, non prius destiterunt Clodiani plebē in Milonem accendere, quā flāma ē concione fugati sunt: ut ait Asconius. Pertinet autē hoc ad Munatium tum irridendum tum in invidiam vocandum. *tribuni pl.*) T. Munatii Planci. *illa*) q. d. vulgo notæ. *intermortua*) Sic vocat metaphoricē cōciones Munatii tribunitias, q̄ conflescentes evanuerint seu interciderint. *invidiosē*) ad invidiam ac odium mihi conflādum. *sentiret*) judicaret de causa Milonis. *vellem*) juberem, suaderem.

*Quæ quidē si potentia est appellanda potius, quā propter magna in remp. merita mediocris in bonis causis auctoritas, aut propter hos officiosos labores meos nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita sanē, dummodo ea nos utamur pro salute bonorum contra amentiam perditorum.*

Digressiuncula de sua potentia ad invidiam amoliendā. Utitur autem partim correctione, vel extenuatione, partim concessione, partim denique compensatione. Munatius criminatus fuit meam potentiā: sed illa non tam est potentia, quā mediocris in bonis causis auctoritas, aut nonnulla apud bonos gratia. Sed esto, appelletur sanē potentia: at interim & hoc teneatur, me hac potentia uti pro salute bonorum contra amentiam perditorum. Porro in correctione simul

mul



mul causas procreantes suæ potētīe exponit,  
 ad sese iudicib. per sua merita cōmendādum:  
*si est appellanda*) sc. ut appellat Munatius, mihi  
 autē appellanda nō videtur. *propter*) Exponit  
 causam procreantē suæ potētīe. *mediocris*)  
 Extenuat suā potētīā: ut quæ sit mediocris,  
 quum tamen sua merita sint magna. *officiosos*)  
 quæ ab homine officioso proficiscūtur, qui-  
 bus officium amicis præsto in illorum causis  
 defendēdis. *appelletur*) Concessio. *ita*) nempe  
 potentia. *dummodo*) Compensatio, ἀντικατά-  
 λαξις. *nos*) ego Cicero. *bonorum*) inter quos &  
 Milo. *perditorum*) quales sunt Clodiani.

*Hanc veró questionē, etsi non est iniqua, nūquam  
 tamen senatus constituendā putavit. erant enim le-  
 ges, erant questiones vel de cade, vel de vi: nec tātum  
 incerorem ac luctum senatui mors P. Clodii afferebat,  
 ut nova questio constitueretur. Cujus enim senatui  
 de illo incesto stupro iudicium decernendi potestas es-  
 set erepta, de ejus interitu quis potest credere sena-  
 tum iudicium novum constituendum putasse?*

Haftenus digressiūcula de sua potētīa: nūc  
 addit aliud argumentū, ut probet, senatū cau-  
 sam Milonis cōprobasse: quia noluerit novā  
 q̄stionem seu novā iudicii formā in hac causa  
 constitui. Argumentū est ab effectu: nā quia  
 metuerunt, ne si novum iudicium constitue-  
 rent, Milonem tacito præiudicio viderentur  
 damnare: ideo novum iudiciū constitui no-



luerunt. Cujus quidem volūtatē causas orator exponit eas, quæ ostendāt, partim novum iudicium in hac causa minimē fuisse necessarium, partim Clodium non fuisse hoc honore dignum. In principio autem per prolepsin cōcessione mitigat hanc novi iudicii, voluntate Pompeji constituti, improbationem seu obliquam reprehensionem. *hanc*) scil. novam & extraordinariam. *quæstionem*) iudicium in quo quæritur de cæde P. Clodii. *et si non est iniqua*) Concessio per prolepsin, ad declinandū offensionem Pompeji: qui hanc novam iudicii formam lege constituerat. *constituendam*) decernendam. *erant enim leges*) A non necessario, seu supervacuo: id est à fine, nēpe à negatione finis. Non erat finis, cujus gratia novam quæstionem constituendam putarent: non igitur putarunt constituendam. *quæstiones*) iudicia, formæ iudiciorum. *de cæde*) ut lex Cornelia de sicariis. *de vi*) ut lex Metelli. *nec tantū*) Haftenus prima causa cur senatus non putarit constituendam novam quæstionem: sequitur secunda à causa efficiente impulsiva videlicet, à justo odio ejus erga Clodium: quod odium primū innuit expositione effecti, quod scilicet mors Clodii non attulerit senatui mœrorem: deinde causam illius odii exponit, quia fuerit illi erepta potestas decernendi iudicium de incesto stupro Clodii.

NOVA



*nova quaestio*) nova iudicii forma, *ein neuer pro-*  
*cessus. constitueretur*) decerneretur senatuscon-  
 fulto. *cujus enim*) Traiectio. Syntax. De cuius  
 enim incesto illo stupro senatui potestas es-  
 set erepta decernēdi iudicium. *illo*) omnibus  
 noto. *incesto stupro*) commisso á P. Clodio in  
 sacris Bonæ deæ, ad quæ veste muliebri indu-  
 tus intromissus fuerat. aliâs illa sacra á solis  
 mulieribus obibantur in intimo ædium re-  
 cessu, procul á virorum conspectu. *iudicium*)  
 scilicet novum. *decernendi*) constituendi. *esset*  
*erepta*) sc. per Q. Fusium: ut Asconius monet:  
*quis*) q. d. nemo. Est autem hîc observanda e-  
 legans & emphatica repetitio nominis *iudi-*  
*cium*: quo innuitur ratiocinatio á pari: quasi  
 sic cogitarit senatus: Non licuit nobis con-  
 tra Clodium decernere iudicium novum: er-  
 go multo minús pro Clodio novū iudicium  
 decernemus. Vel simpliciter á contrario sic:  
 Senatus voluit olim contra Clodium novam  
 iudicii formam decernere: Ergo non voluit  
 nuper pro Clodio id ipsum facere. *novum iudi-*  
*cium*) novam iudicii formam.

*Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædi-*  
*um M. Lepidi, eadem hanc ipsam, contra remp. sena-*  
*tus factam esse decrevit? quia nulla vis unquam est in*  
*libera civitate suscepta inter cives non contra remp.*  
*Non enim est ulla defensio contra vim unquam o-*  
*ptanda, sed nonnunquam est necessaria. nisi veró aut*



ille dies, quo Ti. Gracchus est casus: aut ille, quo Cajus, aut quo arma Saturnini oppressa sunt, etiam si é rep. remp. tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipse decrevi, cum cædem in via Appia factam esse constaret, non eum, qui se defendisset, contra remp. fecisse: sed, cum inesset in re vis & insidia, crimen iudicio reservavi, rem notavi.

Haftenus prima responsio ad secundum argumentum adversariorum á senatusconsulto: sequitur responsio altera, ubi verba senatusconsulti commodè interpretatur, atq; ita atrocitatem ejus mitigat. Est igitur quæstio quam vocant τῆς πῆρας ἢ δίκης, de dicto & sententia. Adversarii urgebant atrocitatem τῆς πῆρας: orator commodam investigat δίκην. Cujus interpretationis duæ sunt partes: prior, quia senatusconsulto non sit spectatum propositum Milonis, sed eventus qui fuerit necessarius, nec potuerit evitari. Porro violentæ defensionis malorumq; civium oppressioni necessarió cohærere aliquod detrimētum reipublicæ, tribus exemplis ostēdit: videl. occisi Tib. Gracchi, & Caji, & Saturnini. Atq; hæc prior interpretationis pars est. Altera pars continetur ibi, *Itaque ego ipse*. quód sc. senatusconsulto nō definiatur, uter cōtra rempub. fecerit, Milone an Clodius: sed tantum significetur, in cæde Clodii vim intervenisse. *Cur igitur*) Transit ad hanc partem per prolepsin.



lepsi. Objectio: Senatus decrevit, cedere Clodii contra reipub. esse factam: Ergo sic iudicavit: ac proinde falsum est, senatum causam Milonis comprobasse. Exponit autem etiam duas alias senatusconsulti partes, quarum prima de incendio curiae soli Clodiani, altera de oppugnatione edium M. Lepidi, tam illi quam Milo gravabatur. postrema autem de Clodii caede contra solum Milonem directa videbatur: itaque hanc commodè ut dictum est, interpretatur. *cur igitur*) Profopopœia seu mimesis: sunt enim hæc verba adversariorum. *igitur*) si sc. senatus causam Milonis comprobavit, ut tu dicis. *cur*) q. d. non habuisset justam causam decernendi contra Milonem. *incendium curiae*) sc. ortum ex igne quo cremabatur cadaver Clodii. nam populus duce Sex. Clodio scriba, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subfelliis & tribunalibus & mensis & codicibus librariorum: quo igne & ipsa quoque curia flagravit. Asconius in hujus orationis argumento. *oppugnationem edium M. Lepidi*) sc. factam tum a Clodianis, tum a Milonianis. nam (ut notat Asconius) post biduum medium quam Clodius occisus erat, interrex primus proditus est M. Æmilius Lepidus. non fuit autem moris, ab eo qui primus interrex proditus erat, comitia haberi. sed Scipionis & Hypsæi (competitorum Milonis) factiones, quæ recēs invidia



Milonis erat, quum contra jus postularent, ut interrex ad comitia consulū creandorum descenderet: idque ipse non faceret: domū ejus per omnes interregni dies (fuerāt autem ex more quinque) obsederunt: deinde omni vi janua expugnata, & imagines majorū dejecerunt, & lectulum aduersum uxoris ejus Corneliæ, cujus castitas pro exemplo habita est, fregerunt: itemque telas quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. postq; supervēnit Milonis manus, & ipsa postulans comitia: cujus adventus fuit saluti Lepido: in se enim ipsæ conversæ sunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domus interregis omissa est. *cadem hanc*) Clodii. *contra reipub.*) contra leges & salutē reipub. *decrevit*) senatusconsulto declaravit, pronūtiavit. *Quia*) hætenus interrogatio adversariorū: sequitur respōsio oratoris. *nulla vis*) Milo autē vim vi repulit. *non contra reipub.*) id est, absq; detrimento reipub. ita ut non eveniret inde reipub. aliquod detrimentum: licet ejus culpam non sustineat is qui vim vi repulit, sed potiūs is qui vim intulit. *in libera civitate*) qualis est nostra. *non enim*) Distinguit inter voluntatem & necessitatem: quarum illam in vi repellenda reprehendit, hanc permittit. *optanda*) expetenda. *necessaria*) nempe quum quis nimium urgetur, & in discrimine capitis versatur. *nisi verò*)



*veró*) já exemplis probat quod dixit, omnem defensionem contra vim, quantumvis necessariam, tamen contra répub. esse, id est, rempub. lædere. *nisi veró*) Ironia. *es sey denn/dasß. Tib. Gracchus est casus*) scilicet á Nafica. *quo C. Gracchus est casus á L. Opimio. arma Saturnini oppressa sunt*) quo Saturninus armatus cum sua factione oppressus est á C. Mario. metonymia adjuncti. *é repub.*) id est cum salute reipub. *vulnerarunt*) læserunt, perturbarunt, detrimentum reip. attulerunt. metaphora. *itaq;*) hæctenus prima pars interpretationis senatusconsulti: sequitur altera. *ego ipse*) q. d. non solum ceteri senatores, quorum nonnulli minús favent Miloni, sed etiam ego ipse qui Miloni maximé faveo. *decrevi*) censui in senatu, & eandem cum cæteris sententiam pronuntiavi. *in via Appia*) ab Appio Cæco strata: quæ Roma Brundusium ducebat. *eum qui se defendisset*) id est Milonem. periphrasis ex effecto vel adjuncto, argumentosa. q. d. Milo ita intulit vim, ut contra vim se defenderet: Ergo etsi illa vis contra répub. evênit, tamen Milo contra remp. non fecit. distinguendum est enim inter eventum & propositum. *in re*) cæde Clodii. synecdoche generis. *vis*] tum illata á Clodio, tum repulsa á Milone. *insidia*) scilicet factæ Miloni á Clodio. *crimen*) cædem quæ Miloni crimini da-



tur. *judicio*] iudicibus hanc causam iudicaturis. *rem notavi*) eadem Clodii contra rempub. factam esse unam cum cæteris decrevi.

*Quod si per furiosum illum tribunum senatui, quod sentiebat, perficere licuisset, novam questionem nunc nullam haberemus. decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodo extra ordinem quaeretur. divisa sententia est postulante nescio quo. nihil enim necesse est omnium flagitia proferre. sic reliqua auctoritas senatus emta intercessione sublata est.*

Sequitur tertia pars responsionis ad secundum argumentum: ubi primum redit ad querelam de nova iudicii forma: eodem quod modo iudicii mentionem fecerat: deinde conqueritur illud S. C. necessitate expressum, & senatui invito extortum fuisse per furorem tribuni pl. Munatii. *per furiosum illum tribunum*) permittente seu non obstante furioso illo tribuno: intelligit autem Munatium. *furioso*) *διὰ βολήν*, calumnia, notans causam ad excusandum senatum, & adversarium in odium rapiendum. *quod sentiebat*) de causa Milonis. *perficere*) decernere. *novam quest.*) novam iudicii formam. *decernebat enim*) scilicet initio. vel, decernere volebat: decreturus erat, scil. præeunte Hortensio: ut notat Asconius. *veteribus legibus*) ut sunt lex Cornelia de sicariis, & Metelli de vi: non autem nova lege, quam tulit Pompejus. *tantum-*



*tummodo extra ordinem*) q. d. hoc tantummodo  
 novū decernebat senatus, ut quæreretur ex-  
 tra ordinem. id quod equidem opponi puto  
 tempori judiciorum habendorum legitimo  
 & ( ut hodie loquimur ) ordinario, *quæreretur* )  
 iudicium haberetur de cede Clodii. *divisa sen-  
 tentia est*) Sequitur antithesis. Exposuit pro-  
 positum senatus in decernendo seu senatus-  
 consulto faciendo: nunc opponit eventum  
 contrarium, & proposito senatus repugnan-  
 tem. q. d. *sed postea divisa sententia est*. Ellipsis hu-  
 jusmodi particularum, videl. conjunctionis  
 adversativæ & adverbii tēporis, non nihil af-  
 fert obscuritatis. *sententia*) hæc sentētia, quam  
 senatus authore Hortensio volebat decer-  
 nere. *divisa est*) Erat enim bipartita: pars una  
 erat de legibus, quibus quærendum esset: al-  
 tera de tempore, quo esset quæredum. Vide-  
 tur autem innuere, illa divisione sentētiæ fa-  
 ctum esse ut quæstio de legibus omitteretur,  
 & de solo tēpore decerneretur. Porro qd sit  
 dividere sententiam, Asconius his verbis do-  
 cet: Quū aliquis indicenda sentētia duas plu-  
 resve res complectitur: eæ si nō omnes pro-  
 bātur, postulatur ut dividat, id est ut de rebus  
 singulis referatur. *postulante nescio quo*) id est,  
 Q. Fusio Caleno. Ex contemptu simulat se ne-  
 scire orator. Fuisse autem hūc Fusiū, testatur  
 Asconius. *nihil enim*) Obiter rationē exponit,



cur nolit illum nominare. *omnium*) inimicorum & adversariorum Clodii. *flagitia*) Aspera reprehensio. *proferre*) scilicet in lucem, indicare, patefacere. *sic reliqua auctoritas &c. sublata est*) id est, sic factum est ut reliqua auctoritas sit sublata. Exponit τὸ ἐμβά, eventū istius postulationis Q. Fusii, atque ita docet senatum invitum illud senatusconsultum fecisse. *reliqua auctoritas senatus*) pro auctoritas reliqui senatus. h. e. reliquorum senatorum qui non fuerant á Clodianis corrupti. *hypallage. emta intercessione*) intercessione quorundam qui ad hoc pecunia fuerant á Clodianis corrupti. *δωροδοκείαν* hoc flagitium Græci appellant.

*At enim Cn. Pompejus rogatione sua & de re, & de causa judicavit. tulit enim de cade quæ in Appia via facta esset, in qua P. Clodius occisus esset. Quid ergo tulit? nempe ut quæreretur. quid porro querendum est? factumne sit? at constat. á quo? at paret. vidit igitur, etiam in confessione facti, juris tamen defensionem suscipi posse. quod nisi vidisset, posse absolvi eum, qui fateretur: cùm videret nos fateri, neque queri unquam jussisset, neque vobis tam salutarem hanc in judicando litteram, quàm illam tristem dedisset.*

Sequitur tertia refutationis pars, id est refutatio tertii argumēti adversariorum, quod sumtum est á judicio, seu sententia Pompej: qui



qui tulerat legem, ut de cæde P. Clodii quaeretur. qua lege videbatur authorem ejus cædis damnare. Orator primùm ostendit, lege Pompeji Milonem non damnari, sed defensionem juris illi cõcedi. *ibi, quid ergo tulit?* Deinde persuadere conatur, legem Pompeji ad absolvendum Milonem latam esse. *ibi, Mihi veró.* Tertió de fine seu consilio legis à Pompejo latæ disputat: ac primùm demonstrat, Pompejum non tulisse hanc legem in gratiam Clodii. *ibi, jam illud dicet.* deinde ostendit, Pompejum hanc legem tulisse temporis causa: ad quam disputationem transit. *ibi, Sed stulti sumus.* cujus disputationis occasione de judicum quoque delectu disputat. *ibi, itaque delegit.* & nominatim de quæsitore seu judicii præside. *ibi, Quód veró te L. Domiti.* Postremó refutationem concludit, & ad narrationem transit. *ibi, Quamobrem judices. at enim*) Objectio adversarii per mimesin seu profopopœiã. *rogatione*) lege. nam Romæ in legibus ferendis moris erat populum rogare: quod fiebat his verbis, VELITIS JUBEATIS QUIRITES. Est igitur metonymia adjuncti. *& de re & de causa*) Hæc verba videntur opponi distinctioni oratoris paulo-anté factæ, ubi dixit: Crimé judicio reservavi, rem notavi. quibus verbis factus est, cædē Clodii contra rempub. esse factam: sed uter



contra remp. fecerit, Milone qui occidit, aut  
 veró Clodius qui occisus fuit, id adhuc judi-  
 candū relinqui. Huic distinctioni nūc oppo-  
 nitur lex Pompeji, ut qui simul judicavit &  
 de re & de causa: h. e. non solūm cædem Clo-  
 dii contra remp. esse factā, sed ejus cædis au-  
 thore cōtra remp. fecisse. *judicavit*) nempe eo  
 ipso quod quæstionem tulit. *tulit enim*) scilicet  
 legem. *quid ergo tulit*) id est, quid in lege quam  
 tulit, scripsit? quid jussit? Dialogismus. *nempe*)  
 Respondet sibi ipse orator. *nempe*) scilicet tu-  
 lit. *ut quæreretur*) scilicet de cæde Clodii. ut  
 iudicium & cognitio fieret. *quid porró*) De-  
 fensionem juris lege Pompeji Miloni con-  
 cedi, probat argumento distributionis, syllo-  
 gismo disjunctivo:

*Quærendum est aut de factō, aut de jure:*

*Non autem de factō: quia constat.*

*De jure igitur.*

*quæredum est*) sc. de cæde Clodii. *factūmne sit*) fa-  
 ctāne sit cædes Clodii. *á quo?*) quærendūmne  
 est á quo sit facta illa cædes? *paret*) id est, ap-  
 paret. *vidit*) Conclusio syllogismi. *vidit*) in-  
 tellexit, scilicet Pompejus. *etiam in confessio-  
 ne facti*) quum quis fateretur se fecisse. *juris  
 tamen &c.*) illum tamen quod fecerit, jure  
 defendere posse. *quod nisi*) Cōclusionis expo-  
 litio per contrarium, & distributionem quæ-  
 stionis judicialis é sine duplici, absolute  
 vide-



videlicet & condemnatione. *vidisset*) intellexisset. *fateretur*) cædem á se factam. *nequæ quæri unquam iussisset*) quæstionem nunquam constituisset. *nec vobis*) Distributio per collationem parium. q. d. Quia iussit vos quærere de cæde Clodii á Milone facta, hoc ipso tam dedit vobis potestatem absolvédi Milonem, quám condemnandi. quippe tam absolutio quæstioni proposita est, quám condemnatio: illa quidem, si compertum fuerit, reum esse innocentem: hanc veró, si fontem. *vobis*) iudicibus. *tam, quám*) Notæ parium. *salutarem hanc in iudicando literam*) id est literam A, quæ prima est in verbo *Absolvo*, & reo salutaris est. *illam tristem*) scilicet C, quæ prima est in verbo *Condemno*, & reo tristitiam affert. Tristem igitur vocat per metonymiam effecti. Iudices apud Romanos solebant sententiã quisq; suam scribere in tabella, unius literæ significatione: quarum literarum erant tres, videlicet A. C. L. N. A, id est, absolvo: C, id est cõdemno: L. N, id est non liquet. hoc est (ut ille ait apud Terentium) amplius deliberandum censeo.

*Mihiveró Cn. Pompejus non modó nihil gravitus contra Milonem iudicasse, sed etiam statuisse videtur, quid vos in iudicando spectare oporteret. nam qui non pœnam confessioni, sed defensionem dedit;*



*is causam interitus querendam, non interitum putavit.*

Transit ad secundam particulam hujus refutationis, ubi persuadere conatur, Pompeji legem absolvendi Milonis gratia latam esse. Transit autem per collationem imparium, quasi per correctionem. q. d. quid dico, legem Pompeji non esse latam ad Milonem condemnandum: immo lata est ad eum absolvendum. *non modo*) Nota minoris. *nihil gravius contra Milonem judicasse*) id est, Milonem sua lege condemnasse. periphrasis ex effecto: nam condemnatio gravis ac molesta evenit reo. *sed etiam*) Nota majoris. *statuisse*) decrevisse, præscripsisse. *quid vos in judicando spectare oporteret*) nempe Milonem esse absolvendum, ut qui se jure defensusus esset. synecdoche generis. ad declinandum invidiam. *nam qui non poenã confessioni dedit*) nõ damnavit confitentem. *defensionem dedit*) defendendi potestatem, iudicio scilicet constituto. *causam interitus*) cædis Clodii, justene an injuste sit cæsus. *non interitum*) non ipsam cædem aut illius authorem.

*Iam illud ipse dicet profectó, quod sua sponte fecit, P. ne Clodio tribuendum putet, an temporari.*

Sequitur tertia particula hujus refutationis, ubi de fine seu consilio legis à Pompejo latæ disputat: ac primùm negat, Pompejum  
tulif-



tulisse hanc legem in gratiam Clodii: quam negationē quatuor exemplis per argumentationem á pari, vel etiam á majori, demonstrat. *Iam*) Particula transeundi. *dicet ipse*) ipse Pompejus dicet, si interrogetur. Obiter innuit probationis suæ argumentum á testimonio, videlicet confessione ipsius Pompeji. *quod sua sponte fecit*) nempe quód quæstionem illam lege constituit. synecdoche generis. *sua sponte*) absque scitu & consensu aut jussu senatus. unde in Philippicis hanc legem impudenter latam esse dicit. *Publione Clodio tribuendum*) tanquam in ejus gratiam factum sit, ad significandum dolorem ex illius interitu, tanquam optimi civis. *an tempori*) necessitati temporis: quód hoc tēpus propter certas circumstantias id videatur postulare, ut Pompejus sinisteris suspicionibus occurrat. metonymia subjecti. Sic igitur proposuit duo quærendo: quorum prioris negationem primúm demonstrabit, deinde alterius affirmationem.

*Domi suæ nobilissimus vir, senatus propugnator, atque illis quidem temporibus pænē patronus, avunculus hujus nostri judicis, fortissimi viri M. Catonis, tribunus pl. M. Drusus occisus est. nihil de ejus morte populus consultus, nulla quæstio decreta á senatu est.*

Aggreditur demonstrationem negatio-

E



nis, nempe Pompejum non tulisse legem Clodii causa. id probat á pari collatione exemplorum similium quatuor: quæ tamen orator passim ita amplificat, ut argumentatio procedat á majori. Est autem primum exemplum M. Drusi, incerto authore occisi. Is enim quum legem ferret, qua sociis atque Italicis populis civitatem dabat: reversus domum, circūfusa multitudine in atrio domus suæ ab incerto authore interfectus fuit, cultro sutorio in femore ejus relicto. *domi suæ nobiliss. vir.*] Laudat Drusum ab adjunctis: qua laudatione innuit argumentationem á majori. *senatus propugnator*) contra Philippum consulem anno V. C. 662. *Pené patronus*) scilicet in suo tribunatu. *avunculus*) Avunculus vocatur matris frater. *tribunus pl.*) quum esset tribunus plebis, in suo tribunatu. *M. Drusus*) M. Livius Drusus. *occisus est*) scil. incerto authore propter legem latam de civitate sociorum. *nihil*) Et tamen nihil. apodosis antitheseos. *morte*) nece, cæde. *synecd. generis. populus consultus*) rogatus. id est, nulla lex lata. metonymia adjuncti. *nulla questio*) nullum judicium, nulla nova judicii forma.

*Quantum luctum fuisse in hac urbe á nostris patribus accepimus, cum P. Africano domi suæ quiescenti illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemuit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset*



posset, omnes esse cuperent; ejus ne necessariam quidem exspectatam esse mortem? Num igitur ulla questio de Africani morte lata est? certé nulla. quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obscuri necantur. intersit inter vitæ dignitatem summorum atque infimorum: mors quidem illata per scelus, iisdem pœnis teneatur & legibus. nisi forté magis erit patricida, si quis consularem patrem, quám si quis humilem necaverit: aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quód is in monumentis majorum suorum sit interfectus. hoc enim ab istis sæpé dicitur. perinde quasi Appius ille Cæcus viam munierit, non qua populus uteretur, sed ubi impuné sui posteri latrocinnarentur. Itaque in eadem ista Appia via cum ornatissimum equitem Rom. M. Papirium occidisset, non fuit illud facinus puniendum. homo enim nobilis in suis monumentis equitem Rom. occiderat. nunc ejusdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentata antea cæde honesti atq; innocentis viri, silebatur; eadē nunc crebró usurpatur, postea quám latronis & patricide sanguine imbuta est.

Secundum exemplum est P. Africani minoris: qui quū adversaretur C. Graccho, Cn. Fulvio & Cn. Carboni triūviris, agros dividere conātib. seq; domū fortis & validus pridie é senatu recepisset: mané in cubiculo mortuus inventus est. Hujus cædis indignitatē innuit expositione effecti, videl. luctus populi. Describit etiā cædē ex adjunctis, videl. circū-



stantia loci & situs seu constitutionis Africani & temporis. Luctum veró populi amplificat copia verborum, & querela per pro-popæiam, quæ continet argumétationem á majori: Non fuit optandum, Africanum unquam mori: ergo multo minus fuit illi afferenda mors ante tempus. Vel á minori, eodem sensu. Optandum fuit, Africanum immortalem esse: Ergo multo magis expectanda fuit mors illius necessaria, id est naturalis. *quantum luctum*) Communicatio. *quantum*) q. d. meministis nos accepisse, luctum illú fuisse maximum. unde intelligitur, Africanum fuisse populo charissimum, ac proinde civem optimum. *in hac urbe*) Roma. *patribus*) majoribus. *synecdoche speciei vel membri. accepimus*) audivimus. *metaphora usitata. quum*) eo tempore quo. *P. Africano*) scilicet minori. *domi*) Locus. *quiescenti*) dormienti. Situs & constitutio corporis: ad augendum indignitaté cædis. *illa*) omnibus nota. *nocturna*) quæ noctu illata est. Tempus. *vis*) violenta cædes. *esset illata*) á triumviris, C. Graccho, Cn. Fulvio, Cn. Carbone: quibus in senatu fuerat adversatus. *quis*) scilicet civium. *tum*) eo tempore. *gemuit*) Incrementum verborum: *Lugere, Gemere, Ardere dolore. arsit*) metaphora. *quem immortalem*) Verba populi querulantis de Africani cæde. *ne necessariam quidem*) id est natu-

natu-



naturalem, á necessitate nature pendentem. Necessariam mortem opponit voluntariæ, id est voluntate hominis per vim allatæ. *Ne quidem nota majoris. expectatam esse*) Ellipsis usitata in querelis. q. d. nonne dolendum est, non esse expectatam necessariam mortem, sed morte violenta præventam? *num igitur*) Apodosis antitheseos exornata dialogismo. *quæstio*) iudicium. *lata*) lege constituta. *certè nulla*) Subjectio seu responsio oratoris. *quid ita?*) Amplificat hujus exempli apodosin expositione causæ: ac docet, non fuisse justam causam quæstionis constituendæ de morte Africani, quantūvis ille vir clarus & populo charus esset. id quod confirmat placito Stoicorum de peccatis, quod nimirum peccata omnia sint æqualia, ὅτι ἴσα τὰ ἀμαρτήματα: unde sequitur, non magis peccare eum qui occidit virum clarum, quàm qui obscurum. Quum igitur non soleat decerni quæstio, ubi cæsus est homo obscurus: sequitur á pari, neq; quum cæsus est vir clarus, quæstionem constituendam esse. Argumētum igitur principale hujus loci est á pari: confirmatio autem hujus argumenti sumta est á testimonio & iudicio Stoicorum.

*Si non est decernenda quæstio occiso homine obscuro: non etiam decernenda est occiso viro claro.*

E iij



*Atqui non est decernenda questio, occiso homi-  
ne obscuro.*

*Ergo nec decernenda est, caso viro claro.*

Propositio approbatur iudicio & placito Stoicorum. *non alio*) sed eodem, id est pari seu æquali. *facinore*) scelere, peccato. synecdoche generis. *non alio facinore necantur*) id est, æquale facinus necando committitur. *clari*) nobiles, illustres. *obscuri*) ignoti, humiles. *interfit*) Ætiologiam allatã amplificat prolepsis. Objectio: Interest inter vitæ dignitatem summorum atq; infimorum: ergo etiam interest inter indignitatẽ mortis. ita nimirũ ut quo cuiusq; vita fuerit dignior, eo mors ejusdem sit indignior. hinc argumentum est á pari ratione contrariorum, juxta axioma Dialecticum: Contrariorum sunt contraria consequentia. Orator cõcedit enthymematis antecedens: consequentiam veró negat, quatenus consequenti cõtradicit. *interfit*) esto interesse. Concedentis. discrimen sit. *inter dignitatem vitæ summorum atq; infimorum*) scil. hominum. ita nimirum, ut summorum hominum summa sit dignitas, infimorum minima. *summorum*) clarorum. *infimorum*) obscurorum. *mors quidem*) Nota usum particulæ *quidem* in asseverando proposito. q. d. Quicquid sit de vitæ dignitate, hoc quidem certẽ omnino fieri debet ut teneatur, &c. *per scelus*) per vim injustam.



*stam. illata*) scilicet sive summo, sive infimo. *iisdem*) æqualibus. non puniatur atrocius is qui occidit hominem clarum: lenius autem qui obscurum. *legibus*) non feratur peculiaris lex de cæde viri clari: sed eadem tam judicetur legibus usitatis, quam cædes hominis obscuri. *nisi forté*) Expolitio ironica. Objectio: Qui occidit patrem consularem, magis est patricida, quam qui occidit humilem: Ergo ille magis puniendus est quàm hic: & per consequens non iisdem pœnis ambo illi puniendi sunt. Orator concedit antecedens per ironiam, ac proinde revera negat. *consularem*) consulatu functum, ac proinde clarum hominem. *humilem*) obscurum, plebeium, hominem privatum. *aut eó mors*) Annectit per digressionem, adversariorum exaggerationem á circumstantia loci ubi Clodius erat cæsus: quam exaggerationem eadem ironia irridet. *aut*) Repete *ἢ τοῦτο, nisi forté*. nisi forté mors Clodii eo erit (.i. habenda erit) atrocior, quód is interfectus sit in monumentis majorum suorum, id est in via Appia. synecdoche generis. *hoc enim*) Admonet, adversarios ista objectione uti solitos. *perinde*) Elevat istã objectionẽ expositione finis p antithesin diverforũ. Appius Claudius Cæcus viam istam munivit, inquit, ut populus ea uteretur: non autem ut sui po-



steri impune ibi latrocinarentur. Ergo quod Clodius instar latronis Milonem in Appia invadens, non impune tulit: id nō est factum contra consilium ac voluntatem majorum illius. *perinde quasi*) eben als wann. *εἰς ὠνικῶς* ista dicuntur. *ille*) clarus ille vir, ob singularem gravitatem: quam declarat Cicero in oratione pro Cælio, ubi hūc Appium ad objurgandam Clodiæ libidinem ab inferis excitat. *viam*) scilicet Appiam. *muniverit*) saxo straverit. *non qua*) non eam qua, id est nō talem qua. ellipsis. hoc est, non ideo ut ea populus uteretur. Nota genus loquendi ad significādum finem seu consilium agentis. *populus*) Romanus. *uteretur*) eundo & equitando. nam ditiores ac potentiores mānis, id est pusillis equis, viam Appiam terebant: ut apud Horatium videre est. *sed ubi*) sed eam ubi, id est, in qua. h. e. sed ut ibi impune sui posterii latrocinarentur. id est, homines instar latronum ex insidiis adorirentur ad jugulandum. sicut scilicet P. Clodius adortus est Milonem. hoc enim innuit per synecdochen generis. *itaque*] Manet in ironia, & confirmat propositum expositione effecti, videlicet absurdi consequentis, tali syllogismo:

*Si Appius Cæcus viam munivit, ut ibi sui posterii impune latrocinarentur: ergo cades Papii*



*pirii in ista via á P. Clodio facta non fuit punienda.*

*At ista cædes fuit punienda.*

*Ergo Appius Cecus non ideo munivit viam, ut ibi sui posterii impune latrocinaerentur.*

*itaque* ] *μóειον συλλογιστικόν*, particula inferendi seu concludendi. *in eadem ista Appia via*] in qua Clodius interfectus est. *Ornatissimum*] Obiter laudat Papirium, ad odium Clodio cõciliandum: qui enim virum ornatissimum interficit, odio dignus est. equitem) ordinis equestris hominẽ. Fuit enim populus Rom. in tres ordines tributus: patres, equites, & plebem. *M. Papirium*) Fuit hic publicanus, & familiaris Pompejo: qui cum Flavio ad recuperandum Tigranem filium Tigranis Armeniæ regis profectus fuit. Eum rapuit Clodius, & in pugna cum Clodianis commissa occisus est. *occidisset*) P. Clodius. *non fuit illud facinus*] illa cædes Papirii á Clodio facta. *homo enim*] hæctenus assumptio syllogismi perironiam enuntiata: sequitur propositionis sententia. *homo enim nobilis*] scilicet Clodius. *in suis monimentis*] in via Appia, scilicet ideo munita ab Appio Cæco, ut illius posterii impune ibi latrocinaerentur. *equitem Rom.*] M. Papirium. *Nunc*] Elevationem istius objectionis á loco sumtæ, amplificat antithesi contrariorum & collatione imparium. Op-



ponit enim silentio viæ Appiæ in cæde Papi-  
 riana, crebram ejusdem viæ mentionē in cæ-  
 de Clodiana: & innuit, si in cæde Papiriana  
 mentio viæ Appiæ rectē præterita silentio  
 fuit: multo magis in cæde Clodii viam illam  
 silendam esse: Cujus collationis rationem ex  
 utriusq; Papirii scilicet & Clodii, adjūctis af-  
 fert: quæ eadem causæ impulsivæ sunt istius  
 silentii & mentionis viæ Appiæ. *nunc*) Omit-  
 tit nunc ironiam, & serió loquitur & cōque-  
 ritur. *nunc*) at nunc, hoc tempore quo in via  
 Appia occisus est P. Clodius. *Appia*) sc. viæ. *no-*  
*men*) mentio, commemoratio. metonymia  
 subjecti. *quãtas tragœdias excitat?*) Exclamatio  
 serviens admirationi. q. d. mirū dictu est, quã-  
 tas tragœdias excitet. h. e. quantam materiam  
 Clodianis præbeat ad factum Milonis exag-  
 gerandū, atq; ita invidiã illi faciendam: ut qui  
 monumenta Claudiorum cæde Clodii viola-  
 verit ac polluerit. Est metaphora á consuetu-  
 dine tragœdorum: qui omnia exaggerabant  
 & grandiora faciebant. *quæ cruentata*) Expo-  
 litio: Repetit antithesin ac plenius exponit,  
 immixta argumentatione á minori. *quæ*) sci-  
 licet via Appia. *antea*) ante hoc tempus. *cru-*  
*entata*) quum cruentata esset, id est cruore  
 occisi Papirii respersa. *cæde honesti atque in-*  
*nocentis viri*) qua occisus fuit honestus atque  
 innocens vir, M. Papirius. *silebatur*) silentio  
 præ-



præteribatur. quum tamen silentio præteriri minús debuit. *eade*) via Appia. *nunc*) hoc tempore. *crebró usurpatur*) commemoratur á Clodianis, sæpe ab eis dicitur. *latronis parricide*) id est, Clodii. *sanguine imbuta est*) cruentata est.

*Sed quid ego illam commemoro? comprehensus est in templo Castoris servus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompejum interficiendum collocarat. extorta est confitenti sica de manibus. caruit foro postea Pompejus, caruit senatu, caruit publico: janua se ac parietibus, non jure legum judiciorumq, texit. num quærogatio lata, num quæ nova quæstio decreta est? Atqui si res, si vir, si tempus ullum dignum fuit; certé hæc in illa causa summa omnia fuerunt. insidiator erat in foro collocatus, atque in vestibulo ipso senatus: ei viro autem mors parabatur, cujus in vita nitebatur salus civitatis: eo porró reip. tempore, quo si unus ille occidisset, non hæc solúm civitas, sed gentes omnes cõcidissent. nisi forté, quia perfecta res non est, nõ fuit punienda: perinde quasi exitus rerum, non hominũ consilia legibus vindicentur, minús dolendum fuit re non perfecta, sed puniendum certé nihilo minus.*

Hactenus digressio de via Appia, cujus mentionem adversarii obtendebant ad cædem Clodii exaggerandã: jam redit ad institutũ, id est ad demonstrãdum, quód Põpejus non decreverit quæstionem (aut certé decernere non debuerit) causa Clodii occisi: id q



exemplorum majorum commemoratione ostendere aggressus est. Addit igitur hinc tertium exemplum, quod est insidiarum Pompejo factarum á Clodio: de quibus tamen nihil quæsitum sit. *sed quid*) Tránsit correctione, & majoris facinoris comparatione. q. d. Non est quod tot verbis exaggerem cædem Papirianam: dicendum potius est de insidiis Pompejo factis á Clodio: quod scilicet facinus illo indignius & atrocius est: sicuti multis rationibus atrocitatem hujus facinoris amplificabit. *quid*) cur? q. d. non habeo justam causam plura de cæde Papiriana commemorandi, ac diutius in ejus mentione immorandi. *illa*) de cæde Papirii. *comprehensus est*) quod sc. facinus cæde Papiriana atrocius est. *comprehensus*) captus. *in templo Castoris*) quod situm erat in Capitolio. Narrationem insidiarum Pompejo á Clodio factarum illustrat expositione circumstantiarum: ut instrumentorum & loci. Insidiatus est Clodius Pompejo per servum, instructum sica, idque in aditu Capitolii. *collocarat*) scilicet in insidiis. *extorta*) Exponit τὸ ἐμβαν, eventum: & probat criminationem testimonio, videlicet cõfessione servi. *extorta*) vi erepta, ademta. Sic dicitur, clavũ é manu Herculis extorquere. *confitenti*) servo illi, nempe se ad Pompeji cædem collocatum. *de manibus*) é manibus. *caruit*) Exponit

ponit



ponit alium eventum, simulque confirmat crimen Clodianarum insidiarum testimonio alio, videlicet iudicio ac opinione seu persuasione Pompeji: quod innuit expositione effectorum. Pompejus credidit, insidias sibi a Clodio factas esse: inde enim factum est, ut se domi contineret ad insidias Clodii evitandum. *caruit foro*) non venit in forum: nempe quia metuebat insidias Clodii, sibi jam semel in aditu curiæ factas. *postea*) post servum illum Clodii comprehensum. *caruit*) Anaphora. Carere autem dicimur iis rebus quibus vellemus potiri ac frui. *caruit senatu*) non venit in senatum. *caruit publico*) non prodiit in publicum. *janua se*) Antithesis. *janua se ac parietibus*) scilicet domus suæ. id est, domo sua. periphrasis synecdochica est partibus præcipuis. *non jure*) Altera antithesis. *textit*) Eleganter utitur eodem verbo partim proprie de domo, partim metaphoricè de legibus. Sic Horatius lib. i. epist. ad villicum suum: Certe-  
mus, spinas animone ego fortius an tu Evel-  
las agro. *num quæ*) Apodosis ἀντιθέσεως principalis: cujus protasis fuit, Quanquam Pompejo insidiæ structæ fuerunt a Clodio. jam apodosis: Tamen de insidiis illis nulla quæstio decreta fuit. *num quæ*) Communicatio. *Quæ* encliticum, pro qua, id est aliqua. q. d. nulla. quali subjectione supra usus est: Num igi-



tur ulla quæstio de Africani morte lata est: certè nulla. *rogatio*) id est lex. metonymia adjuncti. nam leges à populo rogabantur. *lata*) scilicet est, sc. ob has insidias. *num qua*) Epexegetis. *nova quæstio*) novum iudicium, nova inquirendi ratio. *decreta est*) constituta à senatu. *Atqui*) Amplificat indignitatem insidiarum Pompejo à Clodio factarum, & ita rationem argumèti à majore exponit: quod argumentum tali syllogismo concluditur:

*Si nova quæstio fuit decernenda ob cadem Clodii: multò magis decernenda fuit ob insidias Pompejo à Clodio factas.*

*Atqui ob has insidias nulla nova quæstio decreta fuit.*

*Ergo multo minús ob cadem Clodii nova quæstio decreta est à Pompejo.*

Assumptio præcessit: *Num qua rogatio*. Propositionis sententia sequitur: *Atqui si res*. confirmata expositione triũ causarum impellentium: quæ sunt, insidiarum istarum indignitas, præstantia viri cui factæ sunt, & tēporis illius status. *si res, si vir, si tempus*) Epizeuxis. *si res*) sc. ulla digna fuit. *ἄξιον* (& *γυμνα*. *si vir*) scilicet ullus dignus fuit. *res*) causa, factum, facinus, crimen. unde dicuntur rei, quibus aliquod factũ crimini datur. *tempus*) conditio seu status tēporis. metonymia subjecti usitata. *dignum fuit*) scilicet quæstione nova. *certè*) Assèveratio.



tio. *hæc*) hæc tria jam cōmemorata, res, vir, tē-  
 pus. *in illa causa*) insidiarum Pompejo facta-  
 rum à Clodio. *summa*) fuerunt omnia summa,  
 ac proinde digna nova quæstione. *insidiator*)  
 Expolitio: declarat, tria illa in insidiis Pom-  
 pejo factis fuisse summa. *insidiator*) nempe  
 servus Clodii cum sica, ut antè dictum est. de-  
 claratio primi ex illis tribus, videlicet rei  
 seu criminis. *atque in vestibulo*) Amplificatio  
 per collationem majoris. Collocatus erat il-  
 le insidiator non solùm in foro, id quod per  
 se atrox est: sed quod adhuc est atrocius,  
 collocatus erat in ipso vestibulo senatus, id  
 est in introitu seu aditu Capitolii, ubi senato-  
 res in curiam ingrediebantur. *ei viro*) scilicet  
 Pompejo. Declaratio secundi. *mors*) nex, cæ-  
 des. *parabatur*) à Clodio per servum sicarium.  
*cujus in vita*) pro, in cuius vita. trajectio ele-  
 gans & concinna. *nitebatur*) Niti in re. sic in  
 exordio pro rege Deiotaro:--frequentia in  
 qua oratorum studia niti solent. Aliàs sine  
 præpositione reperitur. *nitebatur*) posita e-  
 rat, consistebat, à cuius vita pendeat. meta-  
 phora ab hominibus senibus scipioni inni-  
 tentibus ne labantur aut corruant. *eo porró*)  
 Declaratio tertii. *tempore*) statu. *unus ille*) so-  
 lus ille, scilicet Pompejus. *occidisset*) occubuis-  
 set, interiisset, ab óccido penult. brevi, ex ob-  
 & cado. Sic sæpé apud Terent. *óccidi*, id est,



perii, nullus sum, actum est de me, *es ist auß mir mir. non hac solúm*) Amplificat collatione majoris: exponens eventum interitus Pompeji perniciosum reipub. *hac civitas*) Romana. *sed*) Adjungit majus. *gentes omnes*) scilicet quæ Romanis parent. synecdoche generis hyperbolica. Innuit enim, omnes gentes sub imperio Romano esse. Sic Virgilius Romanos vocat terrarum dominos. *concidissent*) periissent. Epistophe in verbis, *occidisset, concidissent. nisi forté*) Amplificat propositum prolepsis ironica. Objectio:

*Si Clodius Pompejum non interfecit, non fuit ob insidias illi factas puniendus.*

*Atqui Clodius Pompejum non interfecit.*

*Ergo Clodius non fuit ob insidias Pompejo factas puniendus: & per consequens, nec nova questio ob illas insidias decernenda fuit.*

Orator negat propositionem, quatenus illam concedit *εἰς ἄνωγαν*. Deinde negationem suam, id est, propositionis contradictoriam confirmat á judicio Stoicorum, seu pronuntiato Stoico, nempe quód peccata non rerum eventis, sed vitiis hominum metienda sint: quod pronuntiatum disputat Cicero Paradox. 3. *nisi forté*) Ironia. *quia perfecta res non est*) quia Pompejus non est ab insidiatore Clodii servo interfectus. *nō fuit punienda*) vindican-



dicanda. id est, insidiator vel author insidia-  
rum non fuit puniendus. metonymia effecti.  
*perinde quasi*) non secus ac si. *exitus*) eventus.  
Sic apud Ovid. in Heroidibus:

*Exitus acta probat. careat successibus opto,*

*Quisquis ab eventu facta notanda putat.*

*non hominum*) agentium. *exitus rerum, non homi-  
num consilia*) ἐπ' αὐτοῦ & *consilia*) scilicet mala: ut  
*insidiæ. legibus vindicentur*) jure puniantur.  
*Minús*) Illustrat distinctione. Estque & hæc  
periodus epanodo exornata: *Minús dolen-  
dum, puniendum nihilo minus. minús dolen-  
dum fuit*) scilicet civibus. *re non perfecta*) Pom-  
pejo non interfecto. *sed puniendum*) sed tamen  
puniendus fuit Clodius, qui Pompejum in-  
terficere voluit. *certé*) Asseveratio. *nihilo mi-  
nús*) quàm si res fuisset perfecta.

*Quoties ipse, judices, ex P. Clodii telis, & cruentis  
ejus manibus effugi: ex quibus si me non mea, vel reip.  
fortuna servasset, quis tandem de interitu meo quæ-  
stionem tulisset?*

Quartum exemplum addit de se ipso: qui  
si interfectus esset á Clodio, nihil de illo quæ-  
reretur. Est igitur hoc exemplum fictum, sal-  
tem ratione cædis Ciceronis: sed fictio est  
probabilis ex collatione præcedentium ex-  
emplorū. *Quoties*) Exornat communicatio-  
ne, provocans ad conscientiam judicum, &  
ita propositum cõfirmans testimonio tacitæ



confessionis illorum. *quoties*) q. d. meminisse  
 potestis, hoc factum esse sæpissimè. Ampli-  
 ficatio à numero temporū. *ipse*) ego. *telis*) ar-  
 mis. synecd. speciei usitata. *cruentis*) cruorem  
 meum sitientibus, ad sanguinem meum ef-  
 fundendum, id est me interficiendum para-  
 tis. metonymia effecti hyperbolica. nam ma-  
 nus Clodii tum nondum erant cruentæ seu  
 cruentatæ, id est sanguine imbutæ: sed hoc a-  
 gebant ut cruentarētur, cupidæ erant cruo-  
 ris. *ex quibus*) Sequitur apodosis antitheseos  
 per *ἄλλω*, id est fictionem. *Protasis*: Quan-  
 quam Clodius me sæpè occidere conatus  
 est, imò quanquam me occidisset. *apodosis*:  
 Tamen nemo quæstionem de interitu meo  
 tulisset. *ex quibus*) telis & manibus Clodii. *si*)  
*ἄλλω*. *si me non servasset*) si non effugissem, si  
 non evasissem: sed si interfectus à Clodio  
 fuisset. *mea vel reip. fortuna*) Amplificat ex-  
 positione duarum causarum per disjunctio-  
 nem & correctionem. *mea*) mihi favens for-  
 tuna. *vel*) vel certè. *reip. fortuna*) fortuna reip.  
 favens, ejusque curā gerens. Ecce quomodo  
 Cicero fortunam deam fingit quæ curam ge-  
 rat hominum. quam alibi rerum humana-  
 rum dominam appellat. *servasset*) tutata esset  
 contra vim Clodii. *quis*) q. d. nemo. *de interitu*  
*meo*) de cæde mea qua occisus fuisset à Clo-  
 dio. *quæstionem*) legem de quæstione. meto-  
 nymia subjecti. *Sed*



*Sed stulti sumus, qui Drusum, qui Africanum, Pompejum, nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus. tolerabilia fuerunt illa: P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre potest: luget senatus, mæret equester ordo, tota civitas confecta senio est, squalent municipia, affliçantur coloniae: agri denique ipsi tam beneficum, tam salutarem, tam mansuetum civem desiderant.*

Transit ad alteram partem disputationis de fine seu consilio novae quaestionis à Pompejo decretæ. hætenus docuit quatuor exemplis, Pompejum non tulisse istam de nova quaestione legem causa Clodii: deinceps ostendit, Pompejum illam legem tulisse causa temporis, id est ut ferviret tempori, & suspiciones hominum sinistras caveret: quasi ipse inconstans esset in gratia cum Clodio reconciliata colenda. Sic orator commoda & callida interpretatione σοφὸν φάρμακον adhibet ad curandum vulnus quod Miloni per istam Pompeji legem inflatum erat. Utitur autem transitione perfecta, repetens primum quatuor illa exempla hætenus copiose disputata: deinde opponens exemplum Clodii tanquam illis dissimile & singulare: utpote cujus cædes ob summas illius virtutes maximum omnibus luctum & intolerabilem pepererit. quæ antithesis planè ironica est, ut patet.

*Sed stulti sumus*) Correctio cōiuncta ironia.



*stulti sumus*) stultus sum. enallage numeri. *qui Drusum*) Repetitio exemplorum hactenus singulatim tractatorum: quæ repetitio exornata est epizeuxi. *nosmetipsos*) inmetipsum. *cum P. Clodio conferre*) cõparare. Negatio comparationis notat minús, id est ré minús præstantem. Vult enim dicere, Non sumus nos cum Clodio conferendi: Clodius nobis præstantior est. id quod per ironiam dicit orator. Sic Philipp. 9. Omnes ex omni ætate qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio nõ sunt conferendi. *tolerabilia*) nam illa fuerunt tolerabilia. Ellipsis conjunctionis rationalis. Perpetuatur autem ironia. *illa*) facinora illa adversus Drusum Africanum, Pompejum, deniq; meipsum commissa. *fuerunt tolerabilia*) non fuerunt tã atrocía, ac proinde nihil attinuit novam propter illa decernere quæstionem. *P. Clodii*) at veró P. Clodii mortem &c. ellipsis conjunctionis adversativæ. *aquo animo*) placidè. *ferre*) tolerare. *luget senatus*) Epimone & expolitio illustris, constans distributione luctus é subjectis sex: in quorum postremo ætiologia, id est, causæ expositio inclusa est. præterea exornata est hæc distributio synonymia, id est copia verborum idem significantium. item asyndeto & *καὶ τὸ πῶσι* lugubri: sed ironica. *nemo*) scilicet  
Ro-



Romanorum. hoc est totum quod mox distribuet in partes. *luget senatus*) 1 membrum distributionis. *mæret equest.*) 2 membrum. *tota civitas*) 3 membrum. Notatur autem tribus primis membris tres ordines populi Rom. *confecta senio*) macie ex mærore. qualis macies etiam contrahitur ex senio. metonymia efficientis & effecti: nam ex senio primum intelligitur macies, deinde ex macie mæror. Vel simpliciter senium pro tristitia, per metonymiam efficientis, nam senium tristitiam parit: unde à poëta appellatur tristis senectus. Sic Horat. 1. epist. 18. Surge & inhumanæ senium deponne Camœnæ. *squalent*) 4 membrum. *municipia*) municipes. metonymia subjecti. *afflictantur*) 5 membrum. *colonia*) qui sunt in coloniis. metonymia subjecti. *agri*) 6 membrum. Sunt autem hæc tria posteriora membra hominum extra urbem Romam degentium: sicut præcedentia tria erunt hominum viventium in illa. *agri*) rustici qui agros colunt. metonymia subjecti. *denique*) Particula serviens præcisioni, id est abruptioni enumerationis. conjunctio ordinis, serviens fini seu clausule. *ipsi*) Nota majoris. q. d. quod plus est & magis admirandum. quatenus autem agris tribuit desiderium, metaphora est illustris, & hyperbolica. qualis illa pro Marcello: Parietes mediusfidius C. Cæsar hujus curiæ gra-



tias tibi agere gestiunt. *tam beneficum*) Postremo distributionis membro attexit expositionem causæ procreantis, unde scilicet tantus luctus ob Clodii cædem existat. nempe ex consideratione & memoria summarum virtutū illius. quod ipsum quoq; , ut præcedentia, *ειρωνικόν* est. Exornata autem est hæc ætiologia epizeuxi. *tam beneficum*) liberalem, quàm scilicet nemo alius fuit, *mansuetum*) lenem, humanum. *desiderant*) requirunt, expectant. Nota copiam verborum *ἰσοδυναμίων*, aut certé significationem cognatam habentium, & ad rem eandem significandam adhibitorum: videl. *lugere, mæerere, senio confectum esse, squalere, afflictiari, desiderare.*

*Non fuit ea causa, iudices, non fuit, cur sibi censeret Pompejus questionem ferendam: sed homo sapiens, & alta quadam mente præditus, multa vidit: fuisse sibi illum inimicum, familiarem Milonem; in communi omnium letitia si etiam ipse gauderet, timuit ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ. multa etiam alia vidit; sed illud maxime, quamvis atrociter ipse tulisset, vos tamē fortiter iudicatu-ros. Itaq; delegit é florētissimis ordinibus ipsa lumina.*

Iam declarat ironiam, & verā causam exponit quæstionis á Pompejo latæ. veram inquam, hoc est, quam orator veram videri vult. nam vera causa neutra harum videtur fuisse, hoc est, nec Clodii gratia, nec  
fini-



sinistrarum suspicionum metus: sed potiús  
 offensio, hoc est quia Pompejus Miloni fue-  
 rat offensus propter ambitum. Milo enim  
 profusis lagitionibus & armatis factionibus  
 cōsulatum ambiebat: unde Pompejus etiam  
 alteram legem de ambitu tulit. Est autem hæc  
 causæ seu consilii expositio illustrata anti-  
 thesi, & confirmata expositione causæ pro-  
 creantis, videlicet sapientiæ Pompeji, unde  
 sapiens illud consilium cavēdi sinistras suspi-  
 ciones fuit ortum. præterea enumeratione  
 causarum impulsivarum: quarum enumerat  
 duas, videlicet inimicitias veteres Clodii, &  
 fortitudinem judicum: quarum illæ Pom-  
 pejum moverunt, ut tanquam pro Clodio  
 contra Milonem ferret, ne videretur incon-  
 stans in gratia cum Clodio reconciliata: ista  
 veró eundem movit, ut auderet atrociter  
 ferre. Hujus enumerationis partem poste-  
 riorem exornat *ἔπιπρωξεία*, & amplificat colla-  
 tione minorum, & illustrat prolepsin. præ-  
 terea partem hanc confirmat ex effectis,  
 videlicet delectu judicum. *non fuit*] Protasis  
 antitheseos. *ea*] quam modó exposui & tot  
 verbis *εἰρωνικῶς* amplificavi. *causa*] cur Pom-  
 pejus quæstionem decerneret. *non fuit*] Epi-  
 zeuxis. *cur sibi*] Syntax. cur Pompejus cense-  
 ret, quæstionem ferendam sibi, id est à se: cur  
 putaret, se debere ferre quæstionem. *questio-*



*nem*] legem de quaestione. vel, quaestionem  
 ferendam, id est, decernendā. *sed*] Apodosi  
 antitheseos. *homo sapiens*] Pompejus tanquam  
 homo sapiens. periphrasis ex adjuncto syn-  
 ecdochica, continens causam procreantem  
 consilii Pompeji. & *alta quadam mente predi-  
 tus*] id est, magna prudentia. synonymia. Ho-  
 merus *μεγαθύμους* vocat *Ιλιάδ. β.* de Aga-  
 memnone senatores confidere jubente lo-  
 quens: *βελιώ ἢ πρῶτον μεγαθύμων ἴζε γερόντων.*  
*multa*] scilicet ad hanc causam pertinentia.  
*vidit*] animadvertit, consideravit. *fuisse*] Ap-  
 positio. Exponit deinceps quaedam ex illis  
 multis. Continetur autem hinc prima causa  
 impulsiva. *illum*) Clodium. *famil.*] contra Mi-  
 lonem sibi fuisse, vel etiamnum esse familia-  
 rem. Est hinc figura dictionis, epanodos. Illum  
 inimicum, familiarem Milonem. *in communi*] *πρόεισμα*,  
 deductio consequentis. q. d. ac pro-  
 inde in communi &c. *omnium*] civium Ro-  
 manorum, synecdoche generis. item synec-  
 doche integri hyperbolica, Omnium, id est  
 plerorumque seu maximæ partis. itē *πλεονασ-  
 μός*, *Communi omnium.* *letitia*] ob eandē Clo-  
 dii. *infirmior fides recōciliatæ gratiæ*] scilicet cum  
 Clodio. h. e. ne videretur inconstans in re-  
 conciliatione cum Clodio. *multa etiam alia*)  
 Secūda causa impulsiva. *alia*] scilicet quæ jam  
 non dico. *tacita* *ὑποδιωξις. sed illud*] quod mox  
 dicam.



dicam. *maximé*) Collatio minorum. *quamvis*)  
 Appositio. illud nempe, quamvis &c. Estque  
 prolepsis enuntiato discreto comprehensa.  
 Object. Pompejus tulit legem atrociter: er-  
 go tulit ad condemnandū Milonem. Orator  
 negat consequentiam: Quia Pompejus præ-  
 viderit, iudices fortiter iudicatu-  
 ros, ac pro-  
 inde Milonem absoluturos: quantumvis ipse  
 sua lege damnare illum videretur. *ipse*) Pom-  
 pejus. *tulisset*) legem de cæde Clodii. *atrociter*)  
 scilicet adversus reum Milonem. ita nimi-  
 rum, ut videretur atrocem sententiam ferre,  
 qua reum ejus cædis condemnaret. *vos*) iudi-  
 ces. *fortiter iudicatu-  
 ros*) Milonem tanquam in-  
 nocentem absoluturos, non obstante metu  
 offensionis Pompeji qui sua lege illum da-  
 mnandū iudicaret. *itaque*) Quod dixit, Pom-  
 pejum existimasse, iudices fortiter iudicatu-  
 ros: id jam probat ex effectis, videlicet dele-  
 ctu iudicum. Pompejus delegit ad hoc iudi-  
 cium viros amplissimos: Ergo voluit fortiter  
 iudicari, & speravit fortiter iudicatum iri. *de-  
 legit*) scilicet Pompejus. scilicet iudices in hac  
 causa. *é florentissimus*) Suprà dixit, é cunctis or-  
 dinibus. quod nunc videtur negare: quum  
 solos florentissimos ordines affirmet. Sed vi-  
 detur cunctos ordines isto epitheto ornare:  
 quod & suprà in exordio fecit, ubi ordines



amplissimos appellavit. *ipsa lumina*) clarissimos viros. metaphora illustris.

*Neque veró, quod nonnulli dicunt, secrevit in iudicibus legendis amicos meos. neque enim hoc cogitavit vir justissimus, neque in bonis viris legendis id assequi potuisset, etiamsi cupisset. non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ latè patere non possunt: propterea quód consuetudines victus non possunt esse cū multis: sed si quid possumus, ex eo possumus, quód respub. nos conjunxit cum multis: ex quibus ille cū optimos viros legeret, idq; maximè ad fidem suam pertinere arbitraretur, non potuit legere non studiosos mei.*

Digressiuncula ad refutandum calumniam adversariorum de delectu iudicum: quód nimirum Pompejus delegerit amicos Ciceronis. Cohæret hæc objectio & criminatio cum eo quod proximè dictum fuit, tanquam efficiens cum causa. quasi dicat quispiam ex adversariis: Tu meritó laudas iudices, vocans eos lumina: nam illi sunt amici tui: & hoc Pompejus in deligendo spectavit. Oratione hanc criminationem negat: & negationem probat duobus argumentis á causis efficientibus. prius: Pompejus est vir justus: non igitur delegit alterius partis amicos. Iustitia enim tollit *μεγιστοπολησίαν*, neque spectat gratiam, sed jus. Alterum argumentum: Pompejus non potuisset id assequi ut meos

ami-



amicos deligeret: Ergo nō est conatus id face-  
re. hīc intelligendū est, Pōpejū esse virū pru-  
dentē: prudentis aut non est conari *ἀδύατα*.

*impossibilia*

Secundum argumentum sic confirmat:

*Si Pōpejus cupivisset deligere meos amicos, oportuisset eum deligere omnes bonos. nā omnes boni sunt mei amici: non soli familiares.*

*Atqui Pompejus non potuit hoc assequi.*

*Ergo nec illud.*

Verū hujus syllogismi connexū fallax est: quia Pōpejus potuit deligere amicos Cicero-  
nis, etsi nō deligeret omnes viros bonos, sed tantū aliquos. Porro huic ratiocinationi annectit antithesin evēti: admonēs fieri aliter nō potuisse quin Pōpejus amicos Ciceronis deligeret, quamvis id propositū ei non esset.

*Neg, veró) μόεια περιληπικῶν.* particulae occupative, id est serviens occupationi. *nonnulli) ex adversariis. dictitant) subinde dicūt, perpetuó in ore habēt. Frequentativū ex frequētativo: Dico, dicto, dictito. secrevit) separavit, selegit. legēdis) deligendis. cogitavit) sibi proposuit. vir justissimus) ut qui sit vir justissimus. assequi) Proposito seu cōsilio Pōpeji opponit eventum: quod utrumque negat. pauló post tamen de eventu affirmabit. quæ quidem contradi-ctio quomodo excusari possit, equidem non video. id assequi) sc. ut meos amicos deligeret. cupisset) propositū habuisset. non. n. mea gratia) meæ amicitiae. gratia & favor aliorum*



erga me. meronymia efficientis. familiaritatis  
*bus continetur*) conclusa est, ita scilicet ut soli  
 familiares mihi faveant ac bene velint. *quæ  
 latè patere non possunt*) quæ cū multis esse non  
 possunt: quæ nō nisi paucorum esse possunt.  
*propterea quód*) Illustrat expositione causæ ef-  
 ficientis. *consuetudines victus*) unde scilicet exi-  
 stunt familiaritates. aut certè sine quibus es-  
 se non possunt. *sed si quid possumus*) *ἀντιθεσις.*  
 si quid valemus gratia, id est, si quid possum  
 ego Cicero. synecdoche integri. *ex eo*) Nota  
 præpositione Ex hinc notari causam procre-  
 antem. *respub.*) reipub. administratio. *nos con-  
 junxit cū multis*) multorum gratiam & bene-  
 volentiam mihi conciliavit. *ex quibus*) mul-  
 tis. *ille*) Pompejus. *optimos*) virtutis amantissi-  
 mos, & reip. studiosissimos. Hęc laudatio ob-  
 liquè pertinet ad benevolentiam judicium  
 conciliandam. *legeret*) delegeret. *fidem*) inte-  
 gritatem, justitiam. *non studiosos mei*) amicos  
 meos, benevolos erga me.

*Quód veró te Cn. Domiti huic questioni præesse  
 maximè voluit, nihil quæsivit aliud, nisi justitiam,  
 gravitatem, humanitatem, fidem. tulit, ut consula-  
 rem necesse esset: credo, quód principum munus esse  
 ducebat, resistere & levitati multitudinis, & perdi-  
 torum temeritati. ex consularibus te creavit potissi-  
 mùm. dederas enim, quàm contemneres populares  
 insidias, jam ab adolescentia documenta maxima.*

Dixit



Dixit de delectu iudicum: nunc addit de delectu quæstoris: & causam exponit, cur Pompejus L. Domitium quæstorem creaverit: quæ causæ expositio pertinet ad Domitii laudem ex commemoratione virtutum eius & factorum. quod ipsum ad benevolentiam conciliandam spectat. Porro quæstionem propositam illustrat *πρωσλήψει*, id est, assumptione generis: exponens causam, cur Pompejus tulerit, ut necesse esset quæstoré creari consularem. deinde, cur ex consularibus L. Domitium potissimúum creaverit. *veró) μόειον μεταβατικόν*, particula transitiva. *Cn. Domiti)* Monet Fabric. legendum L. Domiti. Est autem hæc apostrophe. *huic quæstioni præesse)* in hoc iudicio quæstorem esse. *quæsit)* spectavit, propositum habuit. Hoc verbo notatur causa, videlicet finis. *nisi justitiam)* nisi ut esset quæstor justus &c. *tulit ut)* Sequitur *πρωσλήψις. tulit)* scil. in sua lege: id est, iussit. *ut consularem necesse esset)* scilicet quæstoré creari. Cōsularis dicitur qui fuit cōsul. *credo quód)* credo eum ideo sic tulisse, quód &c. *principum)* Substantivé. Intelligit autem consulares. *munus)* officium. *ducebat)* iudicabat. *resistere)* se opponere. obstare. *levitati)* tumultibus ex levitate animi profectis. metonymia efficientis. *multitudinis)* plebis. *perditorum)* scilicet hominū. quales scilicet sunt Clodiani, id est,



improborū, sceleratorū. Est hīc ἐπαύοδ Ⓞ, *Levitati multitudinis, perditorū temeritati. ex consularibus*) Precessit genus, sequitur species. *creavit*) sc. quæsitorem. *dederas enim quum &c.*) *trajectio. quām*) quām vehemēter, quanto opere. *contemneres*) alto animo despiceres, minimē metueres. *populares insidias*) populi seu plebis insidias. *jam ab adolescentia*) inde ab adolescentia. *documenta*) indicia, argumenta.

*Quam ob rem, iudices, ut aliquando ad causam crimēnque veniamus: si neque omnis confessio facti est inusitata: neque de causa quicquam nostra aliter, ac nos vellemus, a senatu iudicatum est: & lator ipse legis, cūm esset controversia nulla facti, juris tamen disceptationem esse voluit: & electi iudices, & isti prepositus quæstioni, qui hæc justē sapienterque disceptet: reliquum est, iudices, ut nihil jam aliud querere debeatis, nisi uter utri insidias fecerit: quod quo facilius argumentis perspicere possitis, rem gestam vobis dum breviter expono, quæso diligenter attendite.*

Concludit refutationem, ac transit ad narrationem. Repetit autem quatuor sententias in refutatione tractatas: & proponit quæstionem in hoc iudicio disceptandam: denique promittit narrationem, & attentionem exoptat. *aliquando*) tandem. Hoc verbo innuit correctionem: quasi fateatur, se nimis diu commoratum in iis quæ ad causam propriæ

non



non pertinent. Estque hinc promissio confirmationis. *causam crimenq;* (sc. de insidiis Miloni a Clodio factis. *si neq; omnis confess.*) Hæc est prima sententia, tractata in refutatione: videlicet interdum hominem occidere, quod probavit exemplis virorum bonorum, qui cædes a se factas liberè confessi fuerunt. *neq; de causa*) Secunda sententia in refutatione tractata, videlicet senatusconsulto non damnatum esse Milonem. *& lator*) Tertia sententia, Pompejum sua lege defensionem juris Miloni concessisse. *& electi*) Quarta sententia quæ fuit refutationis appendix: iudices & quæsitorem idoneum delectos esse. *Reliquum*) Propositio confirmationis seu expositio quæstionis qua de agitur. *quod quò*) Promissio narrationis. *quæso*) Petitio attentionis.

*P. Clodius cum statuisset omni scelere in prætura vexare rempub. videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses præturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed & L. Paullum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam remp. quæreret: subito reliquit annum suum, seque in proximum annum transtulit; non religionem aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam gerendam, hoc est ad evertendam remp. plenum annum atq; integrum. occurrebat, mancam ac debilem præturam suam futuram consule Milone: eum porro summo*



consensu populi Rom. consulem fieri videbat. contulit se ad ejus competitores; sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam inuitis illis gubernaret; tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret. convocabat tribus: se interponebat: coloniam novam, delectum perditissimorum scribebat civium. quanto ille plura miscebat, tanto hic magis indies convalescebat. Vbi vidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum virum inimicissimum suum, certissimum consulem, idq; intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Rom. saepe esse declaratum: palam agere coepit, & aperte dicere, occidendum Milonem: servos agrestes & barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamq; vexarat, ex Appennino deduxerat, quos videbatis. res erat minimè obscura. etenim palam dictitabat, consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu: dixit in concione. quinetiam Favonio fortissimo viro querenti ex eo, qua spe fureret Milone vivo: respondit, triduo illum, ad summum quatruiduo periturum. quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit. Interim cum sciret Clodius (neq; n. erat difficile scire) iter solenne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Calend. Feb. Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret: atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ il-

lo i-



lo ipso die habita est, relinqueret: quam, nisi obire facinoris locum, tempusque voluisset, nunquam reliquisset. Milo autem, cum in senatu fuisset eo die quoad senatus dimissus est, domum venit: calceos & vestimenta mutavit: paullisper dum se uxor (ut fit) comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum jam Clodius (siquidem eo die Romanus venturus erat) redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo. nulla rheda, nullis impedimentis, nullis græcis comitibus, ut solebat: sine uxore, quod nunquam ferè: cum hic insidiator, qui iter illud ad eadem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum puerorumque comitatu. Fit obviam Clodio ante fundum ejus hora ferè undecima, aut non multo secus. statim complures telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: adversi rhedarium occidunt. cum autem hic de rheda rejecta penula desiluisset, seque acri animo defenderet: illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adoriretur: partim, quod hunc jam interfectum putarent, cadere incipiunt ejus servos, qui post erant: ex quibus qui animo fideli in dominum erant, & presentes fuerunt, partim occisi sunt, partim cum ad rhedam pugnari viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum & ex ipso Clodio audirent, & ita putarent: fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque

G



*imperante, neque sciente, neque presente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset. Hec, sicut exposui, ita gesta sunt, iudices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est.*

Narratio in duas principales partes videtur distingui posse. primó enim narrat, quomodo Clodius Milonē oppugnarit in gerenda repub. deinde, quomodo insidias illi fecerit, eaq; occasione interfectus sit. Posterior pars incipit ibi, *Vbi vidit*. In priore parte primū exponit causam cur Clodius petitionem pręture transtulerit ex anno suo in proximū, in quē Milo consulatum petebat: deinde, cur Milonē oppugnādū sibi duxerit: tertió, quomodo eum oppugnarit: postremó, quo evētu oppugnarit. 2 ibi, *Occurrebat*. 3 ibi, *Cōtulit se*. 4 ibi, *Quanto ille*. In posteriore parte primūm cōmemorat Clodii minas de occidendo Milone: deinde apparatus insidiarum per servos. ibi, *servos agrestes*. tertió minarū cōmemorationē repetit, ac fusiús exponit. ibi, *etenim palam*. quartó exponit tēpus & locū insidiarum, id est quo tempore Clodius Roma in suum fundū profectus sit ad insidiandum Miloni. ibi, *Interim cūm*. quintó, qua occasione & quo tempore & ubi Milo in Clodii insidias inciderit. ibi, *Milo autē*. sextó, quomodo Clodianum Milonē hostiliter aggressi sint: & pugna cōmissa,



missa, Clodi<sup>9</sup> interfectus sit. ibi, statim cōplures. septimó narrationē cōcludit asseveratione & summaria indicatione. ibi, Hæc sicut exposui.

Nihil dico quid resp. consecuta sit: nihil quid vos: nihil quid omnes boni: nihil sané id profit Miloni: qui hoc fato natus est, ut ne se qdē servare potuerit, quin uná rēpub. vosq, servaret. Si id jure nō posset, nihil habeo q, defendam: sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentib. & feris natura ipsa præscripsit, ut omnē semper vī, quacūq, ope possent, á corpore, á capite, á vita sua propulsarēt: nō potestis hoc facinus improbū judicare, quin simul judicetis, omnib. qui in latrones inciderūt, aut illorū telis, aut vestris sententiis esse pereundum. q, si ita putasset, certé optabilius Miloni fuit dare jugulū P. Clodio, nō semel ab illo, neq, tum primū petitū, q, jugulari á vobis, quia se illi non jugulandū tradidisset. Sin hoc nemo vestrū ita sentit: illud jã in judiciū venit; non occisus ne sit, quod fate-mur: sed jure an injuria; q, multis antea in causis jã quæsitū est. Insidias factas esse constat: & id est, quod senatus cōtra rēp. factū judicavit: ab utro facta sint, incertū est. de hoc igitur latū est, ut quæreretur. ita & senatus rē, non hoīem notavit: & Pōpejus de jure, non de factō q, stionē tulit. Nunq, d igitur aliud in judiciū venit, nisi uter utri insidias fecerit? pfectó nihil. si hic illi, ut ne sit ipuné: si ille huic, tū nos scelere solvamur.

Transit ad confirmationē: cujus principalis quæstio est, an Clodius jure sit occisus á Milone. hujus quæstionis expositionem am-



plificat antithesi quæstionis diversæ per præteritionem, nempe an mors Clodii sit utilis reipub. Deinde quæstionem propositã concludit syllogismo connexo, tali:

*Omnis insidiator jure occiditur.*

*Sed Clodius insidiatus est Miloni.*

*Ergo Clodius jure á Milone est occisus.*

Propositionem probat testimonio legis naturæ, illustrato distributione quadrimembri. ibi, *Sin hoc*. Conclusionem amplificat expositione consequentis absurdi á pari ad hunc modum:

*Si judicatis, facinus hoc esse improbum, id est, Clodium non esse jure á Milone occisum: tum pari ratione judicandum vobis est, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse per-eundum.*

*Sed hoc nemo vestrum ita sentit.*

*Ergo nec illud.*

Propositio ibi, *Non potestis*. Assumptio ibi, *Sin hoc*. Pro conclusione corollarium, ibi: *Illud jam*. Cæterum propositio amplificata est corollario cõtinente querelam de miseria Milonis. ibi, *Quod si ita putasset*. Præterea conclusionis sententiam quæ continet expositionem status seu principales quæstiones, illustrat antithesi quæstionis diversæ, quæ est de facto. Negat igitur in hoc judicio versari quæ-



questionem facti, sed juris. quod utrumque probat testimoniis, videlicet senatusconsulti & legis Pompejæ: & hanc probationem concludit ibi, *Nunquid igitur.*

*Quonam igitur pacto probari potest, insidias Miloni fecisse Clodium? satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua, docere, magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Itaque illud Cassianum, C V I B O N O F V E R I T, in his personis valeat: et si boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi sæpè parvo. Atqui Milone interfecto Clodius hoc assequabatur, non modò ut prætor esset non eo consule, quo sceleris nihil facere possit: sed etiam, ut iis consulibus prætor esset, quibus si non adjuvantibus, at conniventibus certè, sperasset se posse remp. cludere in illis suis cogitatis furoribus. cujus illi conatus, ut ille ratiocinabatur, nec, si cuperent, reprimere possent, cùm tantum beneficium ei se debere arbitrarentur: & si vellent, fortasse vix possent frangere hominis sceleratissimi corroboratam jam vetustate audaciam.*

Accedit ad probandum assumptionem syllogismi principalis: nempe, Clodium insidias fecisse Miloni. Propositionem, videlicet insidiatorem jure occidi, demonstravit supra. Syllogismus præsentis probationis hic est:

*Cui improbo cædes alterius bono futura erat,  
cum verisimile est insidiatum illi fuisse.*

G iij



*At Clodio improbo cedes Milonis, bono erat futura.*

*Ergo verisimile est Clodium insidiatum esse Miloni.*

Conclusio præcedit ibi, *Quónam igitur pacto.* Assumptio succedit ibi, *Satis est quidē.* Propositio sequitur cōfirmata testimonio L. Cassii, qui illo dicto uti solitus erat in judiciis & litibus. ibi, *Itaq; illud.* ubi dictū illud Cassii corrigitur quatenus restringitur ad improbos. Postea sequitur assumptionis declaratio, ibi, *Atqui Milone.* népe, quód mortuo Milone Clodius potuisset liberé vexare remp. q̄ sententiam illustrat antithesi causarū efficientium, opponens inter se Milonem qui Clodii conatus fuisset impediturus, & Scipionem atq; Hypsæum, qui ejusdem conatus fuissent adjuturi, aut certé permissuri. Et hanc antithesin illustrat collatione imparium. Tum posteriorem antithesis & collationis partem de Scipione & Hypsæo, probat expositione causarum: quas exponit duas, beneficium Clodii in illos, & ejusdem corroboratam audaciam. ibi, *Cujus illi.*

*An veró, judices, vos soli ignoratis, vos hospites in hac urbe versamini, vestra peregrinantur aures, neque in hoc peruagato civitatis sermone versantur, quas ille leges (si leges appellāda sunt, ac non faces urbis, & pestes reip.) fuerit impositurus nobis omnibus,*  
*atque*



atq; inustus? Exhibe quaeso, Sexte Clodi, exhibe libellarium illud legum vestrarum, quod te ajunt eripuisse e domo: & ex mediis armis, turbaq; nocturna, tanquam Palladium sustulisse; ut praclarum inde munus atq; instrumentum tribunatus ad aliquem, si nactus esses, q; tuo arbitrio tribunatum gereret, deferre posses.

Declarationem assumptionis de conatibus Clodii in vexanda repub. per prolepsin confirmat testimonio populi: item Sexti Clodii.

Et aspexit me quidem illis oculis, quibus tum solebat, cum omnibus minabatur. movet me quippe lumen curiae. Quid? tu me iratum Sexte putas tibi? cujus tu inimicissimum multo crudelius etiam punitus es, quam erat humanitatis mea postulare? tu P. Clodii cruentum cadaver ejecisti domo: tu in publicum projecisti: tu spoliatum imaginibus, exsequiis, pompa, laudatione, infelicissimis lignis semustulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquisti. quam rem et si necessario fecisti; tamen quoniam in meo inimico crudelitatem expropsisti tuam, laudare non possum, irasci certe non debeo.

Digressio in commemorationem insolentiae Sex. Clodii in cadavere Clodii cremando.

P. Clodii praeturam non sine maximo rerum novarum motu proponi solitam esse videbatis; nisi esset is consul, qui eam auderet, possetq; confringere. Eum Milonem esse cum sentiret universus populus Rom. quis dubitaret suffragio suo se metu, periculo rep. liberare?



Redit ad assumptionem syllogismi propositi, nempe Clodio improbo cadem Milonis bono fuisse futuram: nimirum ut prætor liberè posset vexare rempub. id quod hîc testimonio iudicum confirmat.

*At nunc P. Clodio mortuo, usitatis jam rebus entendum est Miloni, ut tueatur dignitatem suam: Singularis illa huic uni concessa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit. vos adepti estis ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, suffragationem consulatus, fontem perennem gloriae suæ perdidit. Itaque Milonis consulatus, qui vivo Clodio labefactari non poterat, mortuo denique tentari cœptus est. non modò igitur nihil prodest, sed obest etiam P. Clodii mors Miloni.*

Suspicio hunc locum esse mendosum. videtur enim hæc sententia nimis ex abrupto præcedentibus adjungi, ac deesse sententia generalior, quæ assumptioni syllogismi propositi rectâ opponatur: verbi gratia talis, *At non Miloni mors P. Clodii bono fuerat futura. nam P. Clodio mortuo, &c.* Hanc mendis suspicionem juvat adverbium NON, quod in vulgatis libris legitur, ad hunc modum: *At non P Clodio &c.* Sed etiam sic præcedēs sententia abrupta videtur. postquam enim dixisset, futurum fuisse ut populus consulem crearet Milonem: videtur addenda fuisse talis sententia,



sentia, *Quod cum Clodius videret, omnino iudicavit Milonem e medio tollendum esse, ut ipse liberè suam præturam exercere posset.*

Cæterum ad locum propositum quod at-  
tinet, continetur eo illustratio assumptionis à  
contrario, ad demonstrandum, Milonem  
non fecisse insidias Clodio. Enthymema igitur  
hujus loci est, Mors Clodii non prodest,  
sed obest Miloni: Non igitur insidias Clodio  
fecit Milo. Antecedens probat ex evento:  
quia morte Clodii ablata est singularis ma-  
teria gloriæ Milonis: quam sententiam illu-  
strat antithesi diversorum, opponens singu-  
lari materiæ res usitatas: illustrat etiam colla-  
tione dissimilium; quod populus Rom. mor-  
te Clodii aliquid emolumentum consecutus  
sit, Milo autem materiam gloriæ perdiderit.  
Præterea antecedens enthymematis propo-  
siti confirmat ex alio evento: quod consula-  
tus Milonis post Clodii demum mortem  
tentari cœptus sit. Postremo antecedentis  
probationem concludit per collationem  
imparium.

*At valuit odium; fecit iratus; fecit inimicus; fuit  
ultor injuriæ, punitor doloris sui. Quid si hæc, non di-  
co majora fuerunt in Clodio, quam in Milone; sed in  
illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid  
enim odisset Clodium Milo, segetem ac materiam suæ  
gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos*



*odimus? ille sic oderat, ut odisset primúm defensoreꝝ salutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorẽ armorum suorum; postremó etiam accusatorem suum. reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad vixit. quò tandem animo hoc tyrannum tulisse creditis? quantum odium illius, & in homine injusto, quám etiam justum fuisse?*

Haftenus primum argumentum ad probandum, Clodiũ infidias fecisse Miloni, non contrá Milonem Clodio: sequitur secundum argumentum: Clodius odio habuit Milonem. Ergo fecit ei infidias. Contrá, Milo nõ habuit odio Clodium: Ergo non fecit ei infidias. Argumentũ est á causa efficiente. Orator posterius enthymema priore loco tractat, exornatum prolepsis, & prosopopœia: item anaphora & epistrophe & asyndeto, denique isocolo: item amplificatum ἄπλοῦν seu copia verborum idem significantium. Responsio oratoris illustrata est antithesi, qua viam sibi parat ad alterum enthymema de Clodio: Negat enim odium in Milone, & contrá affirmat in Clodio. Negationem autem probat á causa contrarii: Clodius fuit materia gloriæ Milonis: Ergo Miloni fuit optabile Clodium vivere: & per consequens non odit eum ita ut extinctum vellet. Affirmationem probat á causis procreantibus: quas exponit

ponit



ponit tres. Et hujus probationis conclusionem exornat communicatione.

Reliquum est, ut jam illum natura ipsius, consuetudoq; defendat; hunc autem haec eadem coarguant: nihil per vim unquam Clodius, omnia per vim Milo. Quid ergo, iudices? cum moerentibus vobis urbe cessi: non servos, non arma, non vim intentavit? quae fuisset igitur causa restituendi mei, nisi fuisset injusta ejiciendi? diem mihi, credo, dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat. & mihi, iudices, in causa aut vestra mala, aut mea non praclarissima, etiam iudicium timendum fuit? servorum & egentium civium, & facinorosorum armis meos cives meis consiliis periculisq; servatos pro me objici nolui. vidi enim, vidi hunc ipsum Q. Hortensium, lumen & ornamentum reip. pene interfici servorum manu, cum mihi adesset: qua in turba C. Vibienus senator, vir optimus, cum hoc cum esset una, ita est mulctatus, ut vitam amiserit. Itaq; quando illius postea sic illa, quam a Catilina acceperat, conquievit? haec intentata nobis est: huic ego vos objici pro me non sum passus: haec insidiata Pompejo est: haec istam Appiam viam, monumentum sui nominis, nece Papirii cruentavit: haec eadem longo intervallo conversa rursus est in me: nuper quidem, ut scitis, me ad regiam pene confecit.

Sequitur tertium argumentum, quod sumtum est ab utriusque moribus, violentia scilicet Clodii &



mansuetudine Milonis. Clodius fuit homo violentus: ergo insidias fecit Miloni. Argumentum est á causa procreante impulsiva. Hoc argumentum confirmat ab effectis, commemorans aliquot facta violenta Clodii. Hujus argumenti expositionem primúm exornat ironia. Deinde violentiæ exemplum exponit ejectionem sui: quam fuisse injustam, á contrario ostendit. ibi, *quid ergo*. Tum injuriam istius ejectionis demonstrat á modo agendi, videlicet á neglecto judiciorum ordine: cujus expositione exornat prolepsi ironica. ibi, *Diem mihi credo*. item á vi illata amicis ac defensoribus Ciceronis, Hortensio & Vibieno. ibi, *Servorũ & egentium*. postremó plura Clodii violenta facta coacervat. ibi, *Itaque quando*.

*Quid simile Milonis? cujus vis omnis hac semper fuit, ne P. Clodius cum in judicium retrahi non posset, vi oppressam civitatem teneret. quem si interficere voluisset; quanta, quoties, quot occasiones, quam praeclara fuerunt?*

Haftenus demonstravit violentiam Clodii: deinceps contrarium demonstrat de Milone: hunc scilicet minimé violentum fuisse: quod item ex factis Milonis ostendit, videlicet praetermissis occasionibus Clodii interficiendi.

*Si*



*Si Clodius violentus esset: ac proinde Clodium interficere voluisset: occasiones interficiendi Clodii non pratermisisset.*

*At has pratermisit.*

*Non igitur est violentus.*

Assumptionem declarat expositione exemplorum. Initio autem distinguit inter duplicem vim Milonis: alteram in frangendis Clodii conatibus improbis: alteram in ipso interficiendo: quarum illam de Milone fatetur, hanc negat: atque ita propositum illustrat antithesi diverforum. *quid simile*) Antithesis: Milo autem non fuit violentus. nam haecenus ostēdit, Clodium fuisse violentum. *cujus vis*) Distinguit vim in duas species, é finibus: earumque specierū alteram Miloni attribuit, alteram adimit: Vim contra Clodium attribuit Milo ad defendendum remp. non ad ipsum occidēdum. *quem se*) haecenus concessit vim alteram: nunc alteram negat. negationem autem hanc exornat interrogatione per communicationem. Estque hęc propositio syllogismi connexi. *quanta, quoties, quot, quām*) Polyphton & asyndeton & κομματικόν

*Potuitne, cūm domum ac deos penates suos illo oppugnante defenderet, jure se ulcisci? potuitne cive egregio, & viro fortissimo P. Sextio collega suo vulnerato? potuitne, Q. Fabricio viro optimo, cūm de*



reditu meo legem ferret, pulso, crudelissima in foro  
 caede facta? potuitne L. Caecilii, justissimi fortissimiq;  
 praetoris oppugnata domo? potuitne illo die, cum est  
 lata lex de me, cum totius Italiae concursus, quem  
 mea salus concitavit, facti illius gloriam libens agno-  
 visset, ut, etiamsi id Milo fecisset, cuncta civitas eam  
 laudem pro sua vendicaret? Atqui erat id temporis  
 clarissimus & fortissimus consul, inimicus Clodio, P.  
 Lentulus, ultor sceleris illius, propugnator senatus,  
 defensor vestrae voluntatis, patronus illius publici  
 consensus, restitutor salutis meae: septem praetores,  
 octo tribuni pleb. illius adversarii, defensores mei:  
 Cn. Pompejus auctor & dux mei reditus, illius hostis:  
 cujus sententiam senatus omnis de salute mea gra-  
 vissimam & ornatissimam secutus est: qui populum  
 Rom. cohortatus est: qui, cum de me decretum Capue  
 fecisset, ipse cunctae Italiae cupienti, & ejus fidem im-  
 ploranti signum dedit, ut ad me restituendum Romanam  
 concurrerent. Omnia tum denique in illum odia civi-  
 tum ardebant desiderio mei: quem qui tum intere-  
 misset, non de impunitate ejus, sed de praemiis cogita-  
 retur. tamen se Milo continuit, & P. Clodium ad ju-  
 dicium bis, ad vim nunquam vocavit. Quid? privato  
 Milone, & reo ad populum, accusante P. Clodio,  
 cum ille in Cn. Pompejum pro Milone dicentem im-  
 petus factus est, quae tum non modo occasio, sed etiam  
 causa illius opprimendi fuit? Nuper vero cum M.  
 Antonius summam spem salutis bonis omnibus attu-  
 lisset, gravissimamque adolescens nobilissimus reip.

par-



partim fortissimé suscepisset, atque illam belluam iudicii laqueos declinantem jam irretitam teneret; qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? cum se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nulla sua invidia, Marci vero Antonii maxima gloria? Quid? comitiis in campo, quoties potestas fuit? cum ille vi in septa irruisset, gladios dstringēdos, lapides jaciendos curavisset, dein, subitō vultu Milonis perterritus fugeret ad Tiberim, vos & omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti virtute sua liberet.

Haecenus propositio syllogismi, Si Milo Clodiū interficere voluisset: occasiones non praetermisisset. Sequitur assūtionis loco cōmemoratio exemplorū. i. occasionū praetermissarum. Est autē quinque primorū exemplorum cōmemoratio exornata cōmunicatione & anaphora. potuitne cum) 1 exemplum. potuitne cive) 2 exemplum. potuitne Fabricio) 3 exemplum. potuitne L. Caecilii) 4 exemplum. potuitne illo) 5 exemplum: in cuius expositione ex κενοδοξία per θεωρητολογία diutiūs cōmoratur. atqui erat) postremā occasionem amplificat expositione causarum adjuvantium, videl. authorum restitutionis suae: quorum quinque genera enumerat, Consulem, praetores, tribunos plebis, Cn. Pompejū, cives universos. Quid? privato) 6 exemplū, amplificatum collatione majoris. Nuper verō) 7 exemplū. quid? comitiis) 8 exemplum.



Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impuné non est ausus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere?

Conclusio syllogismi amplificata rationatione á majori per antithesin contrariorum quintuplicem.

Præsertim, judices, cum honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum subesset. quo quidem tempore (scio enim quam timida sit ambitio, quantaq; & quam sollicita cupiditas consulatus) omnia non modo quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscure cogitari possunt timemus: rumorem, fabulam falsam, fictam, levem perhorrescimus: ora omnium atq; oculos intuemur. nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile quam voluntas erga nos, sensusq; civium: qui non modo improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam recte facta sæpe fastidiunt. Hunc igitur diem campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manib. scelus & facinus præ se ferens & confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? quam hoc non credibile in hoc? quam idem in Clodio non dubitandum, qui se, interfecto Milone, regnaturum putaret?

Annectit aliud argumentum ad ostendendum, quod Miloni non fuerit propositum occidere Clodium: á circumstantia temporis, vel potius á causa impulsiva, nimirum affectu

fectu



fectu Milonis quo tum temporis fuerit præditus. Syllogismus:

*Qui consulatum expetunt, cavent ne offendant populum.*

*At Milo tunc expetebat consulatum:*

*Ergo cavebat ne populum offenderet: ac proinde cavebat ne cede Clodii cruentatus, facinus hoc præ se ferret & confiteretur.*

Sed hoc argumento non cōcluditur propositum: Potuit enim ex insidiis & ex proposito Clodium occidere Milo, sed hoc tamen non confiteri aut præ se ferre. *præsertim iudices cūm*) Assumptio. *quo quidem*) Propositio. *scio enim*) Propositionis confirmatio á testimonio experientiæ oratoris. *non modó*) Illustratio per distributionem & collationem imparium. *rumorem*) Epexegeſis. *nihil enim*) Illustratio propositionis per expositionem causæ impulsivæ: quæ est consideratio inconstantia populis & facilitatis offendendi: offensionem autem populis amplificat oppositione causarū contrariarū per collationem impariū. *hunc igitur diem*) Conclusio, vel potius conclusionis corollarium. Repetit autem simul assumptionem, eamque conclusioni ut dissentaneam opponit. Conclusionis sententiam exornat communicatione. *quám idem*) Conclusionem amplificat antithesi

H



de Clodio, ubi attingitur primum argumen-  
tum supra propositum, Cui bono.

*Quid? quod caput audaciae est, iudices, quis igno-  
rat maximam illecebram esse peccandi, impunitatis  
spem? In utro igitur haec fuit? in Milone? qui etiam  
nunc reus est facti aut praclari, aut certe necessarii:  
an in Clodio, qui ita iudicia, poenamque contem-  
serat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam  
fas esset, aut per leges liceret?*

Sequitur quartum argumentum:

*Si speravit Clodius se Milone interfecto impunitum  
fore, probabile est, eum insidias illi fecisse.*

*At Clodius speravit, se Milone interfecto impu-  
nitum fore.*

*Ergo probabile est, Clodium insidias fecisse Miloni.*

Item:

*Si Milo fecisset insidias Clodio: spem habuisset  
impunitatis.*

*At hanc non habuit.*

*Non igitur insidias illi fecit.*

Hujus syllogismi assutionem probat ab e-  
vetu: Milo reus est caedis Clodii: Ergo non spe-  
ravit impunitatem. Sed haec infirma, probatio est:  
quam multa contra spem eveniant. Prioris syllogis-  
mi de Clodio assutionem probat ex Clodii fa-  
ctis, v3. contentu poenae: quem contemtu ampliat  
& demonstrat ex factis flagitiosis duobus, stu-  
pro sororis & stupri conatu in sacris Bonae  
deae: quae tamen duo facta non nominat, sed  
generali descriptione notat. *quid? q)* Transitio



*caput*) amplificat hoc argumentū collatione impariū, cōparans ipsum cū ceteris tanquam p̄cipuū & maximi momēti. *quis ignorat*) Confirmat propositionē testimonio cōsensus publici. *maximā illeceb.*) Sētētia propositionis. *In utro*) Trāsitiō ad assumptionē utriusq; syllogismi. *In Milone?*) Assumptio syllogismi de Milone negativa. nam hęc est vis interrogationis. *qui etiam*) Probatio assumptionis de Milone. *factē aut*) Periphrasis cædis Clodii p̄ distributionē ex adjunctis. *an in*) Assumptio syllogismi de Clodio affirmativa. hoc. n. innuit interrogatio. *q̄ ita*) Assumptionis de Milone probatio.

*Sed quid ego argumētor? q̄d plura disputo? te Q. Petilli appello, optimū & fortissimū civē: te M. Cato testor: quos mihi divina q̄dā sors dedit iudices: vos ex M. Favonio audistis, Clodiū sibi dixisse, & audistis vivo Clodio periturū Milonem triduo: post diem tertium gestares est, quam dixerat. cū ille non dubitaret aperire, quid cogitaret; vos potestis dubitare, q̄d fecerit?*

Sequitur quintū argumentū, à testimonio ipsius Clodii: ut qui Miloni cædem minatus sit: id quod duorum iudicū testimoniis confirmat, Q. Petilii & M. Catonis. *Sed*) Trāsitiō p̄ correctionē seu rejectionē argumētorū in-  
fitorū, q̄ Aristoteles artificialia nominat. *te Q. Petili*) Apostrophe ad duos testes é iudicib. *vos ex M. Favonio*) Alius testis. *& audistis vivo Clodio*) Amplificat á circūstantia tēporis. q. d. Si Clodio mortuo Favonius illā Clodii vocē ad



vos detulisset, possetis fortassé de hujus testimonii veritate dubitare: sed detulit Clodio vivo: quem certé falso testimonio noluit in se provocare. *post diem*) Cōminationis veritatē confirmat ex evētu qui minis respondit. *cúm ille*) Concludit hoc argumentum per collationem imparium. Clodius non dubitavit insidias Miloni minari: Ergo multo magis vos debetis credere, eum insidias Miloni fecisse.

*Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? dixi equidem modó. Dictatoris Lanuvini stata sacrificia nōsse, negotii nihil erat: vidit necesse esse Miloni proficisci Lanuvium illo ipso, quo profectus fuit, die. Itaque antevertit.*

Prolepsis. Dicis, Clodio propositum fuisse, Milonē occidere triduo: at quomodo potuit scire, diem tertium insidiis opportunum fore? Respondet, Clodium id facilé scire potuisse, quia scierit Miloni eo die Lanuvium proficiscendum esse.

*At quo die? quo, ut anté dixi, insanissíma concio ab ipsius mercenario tribuno pleb. est concitata: quē diē ille, quam concionem, quos clamores, nisi ad cogitatum facinus approperearet, nunquam reliquisset.*

Annectit sextum argumentum, á circumstantia temporis, vel potiús á Clodii factis illo die quo pugna cum Milone commissa est. Syllogismus:

*Nisí*



*Nisi Clodius Milonem interficere cogitasset,  
non deseruisset concionem eo die habitam,  
nec Roma profectus esset.*

*At deseruit, & profectus est.*

*Cogitavit igitur Milonem interficere.*

*Ergo illi ne causa quidem itineris, etiam causa  
manendi: Miloni nulla facultas manendi, exeundi  
non causa solúm, sed etiam necessitas fuit.*

Repetit utrumque argumentum proximé antecedens, quorum altero ostendit, Clodium diem insidiis opportunum præscire potuisse: altero, fuisse illi propositum occidere Milonem: quæ duo repetit ordine inverso. Simul autem innuit, Miloni non fuisse propositum eo die occidere Clodium, quia scilicet necessarió Roma profectus sit, nempe ad flaminem Lanuvii prodendum, ut officium dictatoris postulabat. Sed hinc non efficitur necessarió: nõ igitur esse profectum causa occidendi Clodii. nam unius facti possunt plures esse fines.

*Quid si, ut ille scivit Milonem fore eo die in  
via, sic Clodium Milo ne suspicari quidem potuit?  
Primúm quero, quí scire potuerit: quod vos idem in  
Clodio querere non potestis, ut enim neminem ali-  
um nisi T. Patinam familiarissimum suum rogasset;  
scire potuit, illo ipso die Lanuvii á dictatore Milone  
prodi Flaminem necesse esse: sed erant permulti alii,*

H iij



*ex quibus id facillimé scire posset: omnes scilicet Lanuvini.*

Probavit, Clodium potuisse præscire iter Milonis: nunc negat contra, Milonem potuisse præscire iter Clodii: deinde affirmationem de Clodio ampliús probat, á facultate testium á quibus potuerit cognoscere, nempe T. Patinæ & omnium Lanuvinorum.

*Milo de Clodii reditu unde quæsivit? quæsierit sané. videte, quid vobis largiar. servum etiam, ut Arrius meus amicus dixit, corrupperit. Legite testimonia testium vestrorum. dixit C. Cassinius, cognomento Schola, Interamnis, familiaris meus, & idem comes P. Clodii, cujus jampridem testimonio Clodius eadem hora Interamne fuerat & Romæ, P. Clodium illo die in Albano mansurum fuisse, sed subito esse nūtiatum, Cyrum architectum esse mortuum: itaque Romam repenté constituisse proficisci. dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius.*

Antithesis. At Milo é nemine potuit quære de Clodii reditu: cujus sc. præscientia necessaria erat ad insidias in itinere faciendū. Hæc negationé mox corrigit concessione: eamq; concessionem alia quadam majoris mométi amplificat. Sed hanc concessioné mox compensat recitatione testimoniorum, é quibus cōcludit, Milonem iter Clodii præscire non potuisse: quippe qui iter facturum non fuerat. Testes commemorat duos, C. Cassiniū Scholam



lā & C. Clodium: quorum illius fidem elevat  
cōmemoratione falsi testimonii olim dicti.

*Videte, iudices, quāta res his testimoniis sint con-  
fecta. Primū certē liberatur Milo, non eo consilio pro-  
fectus esse, ut insidiaretur in via Clodio: quippe quā  
obvius ei futurus omnino non erat. deinde (non enim  
video cur non meum quoq; agam negotiū) scitis, ju-  
dices, fuisse, qui in hac rogatione suadenda dicerent,  
Milonis manu cadem esse factam, consilio veró majo-  
ris alicujus. videlicet latronem me, ac sicarium abje-  
cti homines & perditī describebant.*

E testimonio duorum illorum testiū duo  
efficit: primū concludit quæstionem pro-  
positam, quód Milo non sit profectus confi-  
lio occidendi Clodii: deinde quód ipse Ci-  
cero non dederit Miloni hoc consilium.

*Iacent suis testibus ii, qui Clodium negant eo die  
Romam, nisi de Cyro auditum esset, rediturum fuis-  
se. Respiravi: liberatus sum: non vereor, ne, quod ne  
suspitari quidem potuerim, videar id cogitasse. Nunc  
persequar cetera.*

Acclamatio, conjuncta cum insultatione.  
*ne suspitari) Amplificat á majori.*

*Nam occurrit illud: ne Clodius quidē de insidiis  
cogitavit, quoniam fuit in Albano mansurus. siqui-  
dem exiturus ad cadem é vi non fuisset. video e-  
nim, illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, nō id  
nuntiasse, sed, Milonē appropinquare. nā quid de Cyro  
nuntiaret, quē Clodius Roma proficiscens reliquerat*



*morientem? uná sui, testamentum Cyri simul ob-  
signavi cum Clodio. testamentum autem palám fe-  
cerat; & illum heredem, & me scripserat. quem pri-  
die hora tertia animam efflantem reliquisset, eum  
mortuum postridie hora decima nuntiabatur?*

Prolepsis. Si putandum est, Milonem non cogitasse de insidiis, quia Clodius in Albano fuerat mansurus: pari ratione putandum est, ne Clodium quidem de insidiis cogitasse: quippe qui fuerat mansurus in villa, quum pugna commissa sit extra villam. Syllogismus:

*Si Clodius fuit mansurus in villa, non cogita-  
vit facere insidias extra villam.*

*Sed Clodius fuit mansurus in villa.*

*Ergo non cogitavit facere insidias extra  
villam.*

Orator negat propositionem, quia licet Clodius fuisset mansurus in villa, tamen adventu Milonis cognito consilium mutavit. hujus autem adventum nuntiatum illi tunc fuisse, quum dicitur nuntiatum esse de Cyri morte. Non autem fuisse nuntiatum de Cyri morte, probat ex eo, quia Clodius eam mortem etiam per se scire potuerit sine nuntio: quia reliquerit morientem: id quod suo ipsius testimonio confirmat.

*Agé, si ita factum: quæ causa fuit cur Romam properaret? cur in noctem se conjiceret? quid affere-  
bat*



*bat festinationem? quód heres erat? Primúm, nihil erat cur properato opus esset. deinde, si quid esset; quid tandem erat, quod ea nocte consequi posset, amitteret autem si postridie mané Romam venisset?*

Prolepsis: Clodius é villa exivit, ut Romã properaret: non igitur ut insidias faceret Miloni. Orator negat antecedens: quia non fuerit causa cur Romam properaret: sed potiús ut maneret, propter circumstantiam temporis: ne scilicet noctu iter faceret. Tum causam festinationis apparentem refutat, non quód heres erat Cyri mortui.

*Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potiús quám expetendus fuit: sic Miloni, cüm insidiator esset, si illum ad urbem accessurum noctu sciebat, subsistendum atque exspectandum fuit. noctu, insidioso & pleno latronum in loco occidisset. nemo ei neganti non credidisset; quem esse omnes salvum etiam confitentem volunt. Sustinuisse hoc crimem primúm ipse ille latronum occultator & receptator locus: tum neque muta solitudo indicasset, neque ceca nox ostendisset Milonem: deinde ubi multi ab illo violati, spoliati, bonis expulsi, multi etiam hæc timentes in suspicionem caderent: tota denique recitaretur Etruria.*

A Clodio transit ad Milonem: & ex facto illius probat, non fuisse insidiatum Clodio.



*Si Milo insidiatus Clodio fuisset, noctu illum redeuntem in loco aliquo latronibus infesto expectasset.*

*At non expectavit.*

*Non igitur insidiatus Clodio fuit.*

Propositionem confirmat ex eo, quod Milo factum potuisset negare. hanc confirmatorum amplificat á minori: Omnes Milonem volunt salvum confitentem: ergo multo magis credidissent neganti. Hoc est, non essent conati eum facti convincere & condemnare. Deinde confirmationem propositionis, nempe Milonem potuisse eadem negare, confirmat partim á circumstantia loci & temporis: partim indicatione aliorum cædis authorum, qui in hanc suspicionem cecidissent.

*Atque illo die certé Aricia rediens divertit Clodius in Albanum: quod nisi sciret illum Milo Aricia fuisse, suspicari tamen debuit, eum, etiamsi Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum. cur neq; antè occurrit, ne ille in villa resideret: neq; eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset?*

Annectit aliud argumentum ad amolendum crimen insidiarum á Milone:

*Si Milo Clodium eo die occidere voluisset: aut occurrisset ei, antequam ille in Albano resideret: aut subsedisset eo in loco, quo ille noctu venturus esset.*



*At neutrum horum fecit.*

*Non igitur voluit Clodium eo die occidere.*

Propositionem confirmat ex eo quod facile potuerit cogitare Milo, Clodium ad villam suam diverfurum, antequam Romam reverteretur.

*Video adhuc costare omnia, iudices: Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere: illi ad ea quae concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse: odium illius in hunc acerbissimum, in illum huius nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferenda: huius tantum in repellenda. mortem ab illo Miloni denuntiatam, & palam predicatam: nihil unquam auditum ex Milone. perfectionis huius die illi notum: reditum illius huic ignotum fuisse. huius iter necessarium: illius etiam potius alienum. hunc pro se tulisse, illo die Roma exiturum: illum eo die se dissimulasse rediturum. hunc nullius rei mutasse consilium: illum causam mutandi consilii finxisse. huic, si insidiaretur, nocte prope urbem expectandum: illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum.*

Transit ad aliud argumentum: in cuius transitionis parte prior, id est epilogo, repetit argumenta hactenus disputata omnia, unico excepto, de spe impunitatis. Sunt autem quae repetit, in universum novem, eaque ad utrumque, i. & Clodium & Milonem accommodata: ad crimen scilicet insidiarum de illo affirmandum, de isto vero negandum.



*Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi cōgressi sunt, utri tandem fuerit aptior. Id veró, iudices, etiam dubitandum, & diutius cogitandum est? ante fundum Clodii: quo in fundo propter insanas substructiones facile mille hominum versabatur valentium.*

Altera transitionis pars, propositio undecimi argumenti, á circumstantia loci. Locus ubi cōgressi sunt, ad insidias aptior fuit Clodio quám Miloni. Ergo Clodius potiús insidias fecit Miloni, quám Milo Clodio. Antecedens probat á loci adjunctis duobus, possessione & amplitudine. Iste locus fuit Clodii, & fuit capax mille hominum robustorum.

*Atqui excelsó loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam causam eum locum ad pugnam potissimúm delegerat. At in eo loco potiús expectandum ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat.*

Objectio accusatoris: ad quam respondet inversione, retorquens hoc argumentum in Clodium. Videtur autem legendum, *At id in eo loco &c.* sine interrogatione. in hanc sententiam: At id scilicet impetum facere é loco superiore.

*Res loquitur, iudices, ipsa: qua semper valet plurimum. si haec non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret*



eret mali; cū alter veheretur in rheda penulatus, u-  
nā sederet uxor. quid horum non impeditissimum?  
vestitus, an vehiculum, an comes? quid minús prom-  
tum ad pugnam, cūm penula irretitus, rheda impe-  
ditus, uxore pané constrictus esset?

Sequitur duodecimum argumentum á  
causis cædis impredientibus & adjuvantibus:  
quæ eadem sunt adjuncta personarum a-  
gentium, Milonis & Clodii. De Milone igi-  
tur exponit impedimenta tria: vestitum, ve-  
hiculum & comitatum.

Videte nunc illum, primúm egredientem é vil-  
la subitó: cur vesperi? quid necesse tardé? quí con-  
venit, præsertim id temporis? Divertit in villam  
Pompeji. Pompejum ut videret? sciebat in Alsienti  
esse. Villam ut perspiceret? millies in ea fuerat.  
Quid ergo erat mora & tergiversationis? dum hic  
veniret, locum relinquere noluit. Agé, nunc iter  
expediti latronis cum Milonis impedimentis compa-  
rate. Semper ille antea cū uxore, tum sine ea: nun-  
quam nisi in rheda, tum in equo: comites Graculi,  
quocunque ibat, etiam cūm in castra Etrusca prope-  
rabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui  
nunquam, tum casu pueros symphonicos uxoris  
ducebat & ancillarum greges. ille, qui semper se-  
cum scorta, semper exoletos, semper lupas ducebat:  
tum neminem, nisi ut virum á viro lectum esse di-  
ceres.

Alter pars antitheseos, ubi impedimen-



ra de Clodio negat, & contrá causas adjuvantes de eodem affirmat, ut equum & viros delectos. Præmittit auté argumenta insidiarum á forma proficiscendi, & tempore, & á loco: ubi per prolepsin duos fines negat, cur Clodius in Albanum diverterit: ex quorum negatione infert affirmationem tertii, videl. insidiarum. quæ argumentatio syllogismo disjuncto concluditur ad hunc modum:

*Clodius in Albanū divertit, aut ut Pompejum videret, aut ut villam perspiceret: aut ut Milonem in insidiis expectaret.*

*At nec primum, nec secundum.*

*Tertium igitur.*

Assumptionis utramq; parté probat: priorem á subjecto: posteriorem á repugnante, videlicet contrario causæ.

*Cur igitur victus est? quia non semper viator á latrone, nonnunquam etiam latro á viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier incidere in viros. Nec veró sic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non satis feré esset paratus. semper ille & quantum interesset P. Clodii, se interire, & quãto illi odio esset, & quantum ille auderet, cogitabat. Quamobrem vitam suam, quam maximis præmiis propositam, & pené addictam sciebat, nunquam in periculum sine præsidio & sine custodia projiciebat. Adde casus, adde incertos exitus pugnarum, Martemq; communem; qui sæpé*  
*spoli-*



spoliantem jam & exsultantem evertit, & perculit ab abjecto. adde inscitiam præsi, poti, officitatis ducis: qui cū à tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incensos ira, vitamq; domini desperantes cū incidisset, hæsit in iis pœnis, quas ab eo servi fideles pro domini vita expetiverunt.

## Objectio:

Si Clodius tam fuisset ad cadem expeditus & instructus, non fuisset victus.

At est victus.

Non igitur ita fuit expeditus & instructus.

Orator negat propositionem, eamq; negationem probat expositione causarum variarum, tū ex parte Clodii, tum ex parte Milonis, tum ex utriusq; parte. Clodii: quod is fuerit animo molli & effœminato, quod dux imperitus & ignavus. Milonis: quod is fuerit vir, & secum habuerit viros: quod fuerit munitus præsidio & custodia necessaria: quod ejus servi in pugna vitam domini desperarint. Utriusque: quod Mars communis sit, quodq; fortuna nunc huic faveat, nunc illi.

Cur igitur eos manumisit? metuebat scil. ne indicaretur, ne dolorē perferre non possent, ne tormentis cogerentur, occisum esse à servis Milonis in Appiã via. P. Clodium, confiteri. quid opus est tortore? quid queris? occideritne? occidit. jure, an injuria? nihil ad tortorem. facti enim in eculeo quæstio est: juris, in judicio. Quod igitur in causa querendum est, id



agamus: hoc quod tormentis inveniri vis, id fatemur. Manu veró cur miserit, si id potiús quæris, quám cur parum amplis affecerit præmiis: nescis inimici factum reprehendere. dixit enim hoc idem, qui omnia semper constanter. & fortiter, M. Cato, dixitq; in turbulenta cōcione: quæ tamē hūjus auctoritate placata est: non libertate solúm, sed etiã omnibus præmiis dignissimos fuisse, qui domini caput defendissent. quod enim præmium satis magnum est tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus servis, propter quos vivit? et si id quidem non tanti est, quám quód propter eosdem non sanguine & vulneribus suis crudelissimi inimici mentem oculosq; satiavit. quos nisi manumisisset; tormentis etiam dedendi fuissent, conservatores domini, ultores sceleris, defensores necis? Hic veró nihil habet in his malis, quod minús molesté ferat, quã, etiam si quid ipsi accidat, esse tamen illis meritum præmium persolutum.

Prolepsis. Objectio adversariorum:

*Nisi metuisset Milo, ne servi sui tormentis coacti confiterentur, Clodium ab ipsis occisum esse, non manumisisset eos.*

*At manumisit.*

*Metuit igitur, ne tormentis coacti, Clodium ab ipsis occisum esse confiterentur.*

Hanc objectionem Cicero exornat communicatione, & prolepsis. introducit enim adversarium interrogantem de consilio manumissionis: deinde ipse respondet, & pri-



primūm exponit causam falsam tanquam veram de sententia adversariorum, per ironiam. Deinde illam causam refutat: & ostendit, non esse opus ut tormentis quæratuſe seruis, quia Milo sponte factum confiteatur. Hanc autem sententiam illustrat antithesi disparatorum: ad hunc modum.

*Si opus est quæri eſe seruis per tormenta de Clodii cade: opus est aut ut cognoscatur factum, id est an Milo Clodium occiderit: aut ut cognoscatur jus, id est, jure an injuria occiderit.*

*At non est opus ut cognoscatur factum: nam factum Milo sponte confitetur. Nec opus est tormentis ut cognoscatur jus: nam quæstio juris non ad eculeum pertinet, sed ad iudicium.*

*Ergo non est opus quæri eſe seruis Milonis per tormenta.*

Porro hac argumentatione simul refutat causam illam manumissionis, quasi manumiserit metu tormentorum.

*Si metu tormentorum manumisisset, non confiteretur factum: quia facti quæstio in eculeo est.*

*At confitetur.*

*Non igitur metu tormentorum manumisit.*

Atque sic refutat causam falsam: deinde exponit causam veram: quæ est, ut eos præ-



mio afficeret propter capitis sui defensionē. Hanc causam amplificat collatione majorum: comparans libertatem cū præmiis maioribus, quibus servi Milonis meritó afficienti fuerint. quā sententiam cōfirmat testimonio Catonis. Porro hujus causæ expositionē illustrat reprehensione imperitiæ adversarii, ut qui nesciat inimici factū reprehēdere. quippe Milonē reprehendendū videri, quod solummodo servos libertate donarit, nō aut majoribus præmiis affecerit. Præterea Catonis iudiciū approbat sententiā generali, exornata cōmunicatione, & correctione: amplificata autē collatione impariū: qua vitā Milonis cum ejusdē honore ut minorē confert. Præterea exponit causas, cur servi Milonis non fuerint tormentis dedēdi, etsi manumissi nō fuissent. Deniq; hanc quæstionem concludit confessione Milonis, quam illustrat antithesi diversorum, manumissioni servorum opponens exilium Milonis: quæ sententia ad misericordiæ movendum comparata est.

*Sed quæstiones urgent Milonem, quæ sunt habitæ nunc in atrio Libertatis. quibusnam de servis? rogas? de P. Clodii. quis eos postulavit? Appius. quis produxit? Appius. unde? ab Appio. Dii boni: quid potest agi severiús? de servis nulla quæstio est in dominum, nisi de incestu, ut fuit in Clodium. Proximé deos accessit Clodius: propiús, quám tum, cūm ad ipsos penetra-*  
rat:



erat: tujus de morte tanquam de ceremoniis violatis, queritur. Sed tamen majores nostri in dominum de servo queri noluerunt, non quia non posset verum inveniri: sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius. in reum de servis accusatoris cum queritur, verum inveniri potest? Age veró, quæ erat, aut qualis questio? heus tu Ruscio cave sis mentiari. Clodius insidias fecit Miloni? fecit. certa crux. nullas fecit. sperata libertas. Quid hac questione certius? Subitò arrepti in questionem, tamen separantur á cæteris & in arcas conjiciuntur, ne quis cum his colloqui possit. Hi, centum dies penes accusatorem cum fuissent, ab eo ipso accusatore producti sunt. quid hac questione dici potest integrius? quid incorruptius?

Alia prolepsis, á testimonio quæstionum quæ sunt habitæ de servis Clodii in Milonem. Hujus objectionis expositionem illustrat communicatione per interrogationes & responsiones. Deridet autem hanc objectionem, & testimonii istius fidem elevat: eó quod illi testes ab accusatore producti, & illæ quæstiones ab accusatore habitæ sint: idque neglecto legitimo more. Porro testimonium quæstionis fervorū in reum non esse fide dignū: probat collatione majoris. De servis nulla quæstio est in dominū: Ergo multo minus in reū. Antecedens amplificat correctione, qua unum casum excipit, nempe cum queritur de incestu, & hanc exceptionem illustrat exemplo



Clodii. Deinde per digressiunculam cōque-  
 ritur de quæstionis hujus indignitate, ut qua  
 nimis magno honore afficiatur Clodius. Tū  
 ad institutum enthymema redit, & ejus an-  
 tecedens illustrat expositione causæ, idque  
 per antithesin diversorum. Postea conse-  
 quens enthymematis adjungit, exornatum  
 communicatione. Atque hæc prima hujus  
 refutationis pars est, á persona in quã quæ-  
 stio habetur, id est, á quæstionis objecto, au-  
 thore & forma: quorum expositionem exor-  
 nat profopopœia. deinde amplificat á mino-  
 ri: Si subitó arrepti in quæstionem, tamen  
 separantur á cæteris, ne quis cum iis colloqui  
 possit: multo magis servi isti Clodiani, qui  
 non sunt subitó in quæstionem arrepti, sepa-  
 randi fuerunt. At non sunt separati, sed cen-  
 tum dies penes accusatorem fuerunt. Non  
 igitur legitima agēdi ratio in his testibus ob-  
 servata est: nec integra aut certa est hæc quæ-  
 stio.

*Quod si nondum satis cernitis, cūm res ipsa tot,  
 tam claris argumentis signisq; luceat, pura mente  
 atque integra Milonem, nullo scelere imbutum, nullo  
 metu perterritum, nulla conscientia exanimatum  
 Romam revertisse: recordamini per deos immortales,  
 quæ fuerit celeritas reditus ejus, qui ingressus in fo-  
 rum ardente curia, quæ magnitudo animi, qui vul-  
 tus, quæ oratio. Neque veró se populo solúm, sed etiam  
 sena-*



senatui permisit; neque senatui modó, sed etiam publicis presidis & armis: neque iis tantúm, verum etiam ejus potestati, cui senatus totam remp. omnem Italiae pubem, cuncta populi Rom. arma commiserat. cui se nunquam profectó tradidisset, nisi cause sue consideret; præsertim omnia audienti, magna metuenti, multa suspicanti, nonnulla credenti. Magna vis est conscientia, iudices, & magna in utramque partem: ut neque timeant qui nihil commiserint, & poenam semper ante oculos versari putent, qui peccarint.

Transit ad aliud argumentum, ad demonstrandum innocentiam Milonis in crimine insidiarum: quod sumtum est ab effectu, videlicet perturbatione animi ac terrore conscientia.

*Si Milo occidisset Clodium ex insidiis: terruisset eum sua conscientia.*

*At non terruit.*

*Non igitur ex insidiis occidit.*

Assumptionem probat ex effectis: Si terruisset eum conscientia; non tam celeriter rediisset in urbem, non tam alacriter ingressus esset in forum ardente curia, non tanto animo se defendisset oratione ad populum habita: præterea non tradidisset se populo, senatui, & armatis, & denique Pompejo. At Milo hæc omnia fecit. Non igitur eum terruit sua conscientia.



*Quod si nondum*) Transitio. *pura mente*) Assumptio syllogismi principalis. *recordamini*) Assumptio prosyllogismi confirmata testimonio memoriae & experientiae ipsorum iudicū. *neq<sub>3</sub> veró*) Gradatio. *cui se*) Pars extrema propositionis prosyllogismi: amplificata expositione causarum. *Magnavis*) Gnome continens sententiam propositionis syllogismi principalis, amplificata atque illustrata antithesi.

*Neq<sub>3</sub> veró sine ratione certa, causa Milonis semper á senatu probata est. videbant enim sapientissimi homines facti rationem, praesentiam animi, defensionis constantiam.*

Haecenus assumptionem syllogismi principalis probavit ex effectis .i. factis Milonis: nunc eandem probat ab alio genere effecti, videlicet ab eventu quodam, nimirum iudicio & approbatione senatus: ut quae ex observatione constantiae Milonis orta fuit.

*An veró obliti estis, iudices, recenti illo nuntio necis Clodianae, non modó inimicorum Milonis sermones & opiniones, sed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam esse rediturum? sive enim illud animo irato ac percito fecisset, ut incensus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodii putasse, ut equo animo patria careret, cū sanguine inimici expleisset odium suum, sive etiam illius morte patriam liberare voluisset: nō du-*  
bi-



bitaturum fortem virum, quin cum suo periculo salutem reip. attulisset, cederet a quo animo legibus, secum auferret gloriam sempiternam, nobis hæc fruenda relinqueret, quæ ipse servasset. Multi etiam Catilinam atq; illa portenta loquebantur: erumpet, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet. Miseros interdum cives optimè de rep. meritos: in quibus homines non modò res præclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. Ergo illa falsa fuerunt: quæ certè vera extitissent, si Milo admisisset aliquid, quod non posset honestè verèq; defendere. Quid, quæ postea sunt in eum congesta? quæ quamvis etiam mediocrium delictorum conscientiam perculissent, ut sustinuit dii immortales? sustinuit? imò verò ut contempsit, ac pro nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neq; innocens, nisi fortissimus vir, negligere potuisset. scutorum, gladiatorum, frenorum, sparrorum, pilorumq; etiam multitudo deprehendi posse indicabatur. nullum in urbe vicum, nullum angiportum esse dicebant, in quo Miloni non esset conducta domus. arma in villam Otriculanam devecta. Tyberis domus in clivo Capitolino scutis referta: plena omnia malleolorum ad urbis incendia comparatorum. Hæc non delata solùm, sed penè credita: nec antè repudiata sunt, quàm quæ sita.

Sequitur alia probatio assumptionis, etiam ab effectis:

Si Milo ob cadē Clodii malè sibi conscius fuisset: tum sinistri rumores ejus cadis occasione de



*ipso sparsi, fuissent veri, nec Milo eos potu-  
isset sustinere.*

*At rumores isti non fuerunt veri, & Milo eos  
sustinuit.*

*Non igitur malé sibi conscius fuit ob Clodii  
caedem.*

Hujus argumenti expositionem illustrat primúm distributione é causis efficientibus. admonet enim rumores istos sparsos fuisse partim ab inimicis, partim ab imperitis: deinde exponit primúm rumorem, de voluntario scilicet exilio, eumque amplificat divisione causarum per dilemma. Aut occidit ut odium expleret, aut ut patriam liberaret. hæc utraque causa tanti fuisse apud Milonem dicebatur, ut æquo animo patria careret. Atq; hæc de rumore primo. Deinde exponit alterum rumorem, de bello patriæ inferendo: cujus expositionem illustrat exemplo simili Catilinæ. deinde amplificat querela per exclamationem. tum concludit propositum syllogismo connexo secundi modi: cujus assumptio præcedit, propositio sequitur. Postea exponit alios rumores, qui sunt de apparatu & copia armorum ad bellum patriæ inferendum. Ex horum expositione concludit propositum syllogismo connexo secundi modi:

*Si*



*Si Milo fuisset nocens, non sustinisset istos rumores.*

*At sustinuit.*

*Non igitur fuit nocens.*

Propositionem amplificat á minori: Rumores isti vel mediocrium delictorum conscientiam percellere potuerunt. Igitur multo magis conscientiam injustæ cædis. Assumptionem amplificat collatione majorum per correctionem: Non solúm sustinuit, inquit, sed etiam contempsit ac pro nihilo putavit. Deinde subjungit propositionem amplificatam antithesi per prolepsin & collationem imparium. Si fuisset nocens, non potuisset eos sermones negligere, etiamsi fuisset animo maximo. item, Ne innocens quidem negligere istos rumores potuisset, nisi esset vir fortissimus: igitur multo minús negligere potuisset nocens. Postea exponit, quinam illi rumores fuerint: ubi primúm enumerat aliquot genera armorum, ad patriam oppugnandam comparata: deinde aliquot genera locorum, atque etiam exempla locorum specialia, ubi illa arma fuerint recondita. Postremó concludit hunc locum exclamatione: qua conqueritur de istorum rumorum eventu & adjuncto: quód isti rumores pené fuerint crediti: quodq; non anté repudiati sint quám inquisiti.



Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeji; sed dicam ut sentio, iudices, nimis multa audire coguntur, neque aliter facere possunt illi, quibus tota commissa est respublica. quin etiam audiendus sit Poppa Licinius, nescio quis de circo maximo: servos Milonis apud se ebrios factos, sibi confessos esse se de interficiendo Cn. Pompejo conjurasse: deinde postea se gladio percussum esse ab uno de illis, ne indicaret. Pompejo in hortos nuntiavit. arcessor in primis. de amicorum sententia rem defert ad senatum. non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspitione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi Poppae confessionem servorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris putari. verum etiam, ut intelligo, cavebat magis Pompejus, quam timebat, non ea solum quae timenda erant, sed omnia; ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Caesaris, clarissimi & fortissimi viri, per multas noctis horas nuntiabatur. nemo audierat tam celebri loco, nemo senserat: tamen audiebatur. non poteram Cn. Pompejum praestantissima virtute civem, timidum suspicari: diligentiam, tota republica suscepta, nimiam nullam putabam. Frequentissimo senatu nuper in Capitolio senator inventus est, qui Milonem cum telo esse diceret. nudavit se in sanctissimo templo; quoniam vita talis & civis & viri fidem non faciebat, nisi eo tacente res ipsa loqueretur. omnia falsa atque insidiosae fidei comperta. Quod tamen si metuitur etiam nunc Milo, non jam hoc Clodianum crimen  
time-



timemus, sed tuas Cn. Pompei (te enim jam ap-  
 pello ea voce, ut me audire possis) tuas inquam  
 suspiciones perhorrescimus. si Milonem times, si  
 hunc de tua vita nefariè aut nunc cogitare, aut  
 molitum aliquando aliquid putas: si Italia delectus,  
 ut nonnulli conquisitores tui dicunt: si hæc arma,  
 si Capitoline cohortes: si excubiae, si vigiliae, si delecta  
 juventus, quæ tuum corpus domumq; custodit, con-  
 tra Milonis impetum armata est, atque illa omnia  
 in hunc unum instituta, parata, intenta sunt: ma-  
 gna in hoc certè vis, & incredibilis animus, & non  
 unius viri vires atq; opes indicantur; siquidem in hunc  
 unum & præstantissimus dux electus, & tota respub.  
 armata est. Sed quis non intelligit, omnes tibi reip.  
 partes agras & labantes, ut eas his armis sanares &  
 confirmares, esse commissas? quòd si locus Miloni da-  
 tus esset: probasset profectò tibi ipsi, neminem unquam  
 hominè homini cariorem fuisse, quàm te sibi: nullum  
 se unquam periculum pro tua dignitate fugisse: cum  
 illa teterrima peste sæpissimè pro tua gloria conten-  
 disse: tribunatum suum ad salutem meam, quæ tibi  
 carissima fuisset, cõsiliis tuis gubernatum: se à te post-  
 ea defensum in periculo capitis, adiutum in petitione  
 præturæ: duos se habere semper amicissimos sperasse,  
 te tuo beneficio, me suo. quæ si non probaret, si ti-  
 bi ita penitus insedisset ista suspicio, nullo ut evelli  
 modo posset: si deniq; Italia à delectu, urbs ab armis,  
 sine Milonis clade nunquam esset conquietura: ne iste



haud dubitans cessisset patria, is, qui ita natus est, & ita consuevit: te, Magne, tamen antestaretur, quod nunc etiam facit. Vide quám sit varia vita commutabilisq; ratio, quám vaga volubilisq; fortuna, quanta infidelitates in amicis, quám ad tempus aptae simulationes, quanta in periculis fuga proximorum, quanta timiditates. Erit, erit illud profectó tempus, & illucescet aliquando ille dies, cum tu salvus, ut spero, rebus tuis, sed fortasse motu aliquo communium temporum immutatis (qui quám crebró accidat, experti debemus scire) & amicissimi benevolentiam, & gravissimi hominis fidem, & unius post homines natos fortissimi viri magnitudinem animi desideres, quanquam quis hoc credat, Cn. Pompejum, juris publici, moris majorum, rei denique publice peritissimum, cum senatus ei commiserit, ut videret ne quid respub. detrimenti caperet, quo uno versiculo satis armati semper consules fuerunt, etiam nullis armis datis: hunc exercitu, hunc delectu dato, iudicium expectaturum fuisse in ejus consiliis vindicandis, qui vel iudicia ipsa tolleret? satis iudicatum est á Pompejo, falsó ista conferri in Milonem, qui legem tulit, qua, ut ego sentio, Milonem absolvi á nobis oporteret: ut omnes confitentur, liceret. Quód veró in illo loco, atque illis publicorum praesidiorum copiis circumfusus sedet, satis declarat, se non terrorem inferre vobis (quid enim illo minús dignum, quám cogere ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipse & more majorum, & suo jure posset) sed

præ-



*Præsidio esse, ut intelligatis, contra besternam con-  
cionem illam licere vobis, quod sentiatis, liberè ju-  
dicare.*

Transit ad alium rumorem, videlicet Mi-  
lonem conjurasse de interficiendo Pompe-  
jo: ubi suspicionem Pompeji ex isto rumore  
ortam partim extenuat, partim inanem esse  
ostendere conatur. Et quoniam Pompejus  
propter illam suspicionem præsidio armato-  
rum se muniverat: orator causam ejus rei ne-  
gat esse metum, quasi Pompejus sibi á Milo-  
nis insidiis metueret: & contra, affirmat es-  
se necessariam diligentiam & cautionem. Por-  
ró istius rumoris authorem nominat Pop-  
pam quendam Licinium: quem per proso-  
popœiam obliquam introducit narrantem  
ac testantem de Milonis contra Pompejum  
insidiis. tum istud testimonium elevat ex ad-  
junctis testium, quos innuit non esse fide di-  
gnos: item, ex simili rumore falso de oppu-  
gnata domo Cæsaris: præterea ex falsa & pa-  
lám cōvicta criminatione de telo, quod Mi-  
lo sub veste habere dictus fuit. Deinde ora-  
tor se ad Pompejum avertit: & contra ejus  
suspicionem de insidiis Milonis & præsidium  
armatorum quod circum se habebat, dispu-  
tat. Ac de suspicione quidem primùm con-  
queritur: deinde præsidium armatorum ad  
laudem fortitudinis Milonis detorquet. tum



consiliū ejus p̄sidiū exponit, postea de Milonis erga Pōpejū benevolētia disputat: ejusq; disputationis occasione delabitur in querelā de incōstātia fortunę Milonis & infidelitate amicorū ejus: quinetiā p̄dicat Pōpejo venturū tēpus, quo Milonis amicitiam & opem desideraturus sit. Deinde ad p̄sidium armatorū redit: ac docet, illud non esse á Pōpejo cōparatum cōtra infidias Milonis, quia Pompejus expectet eventū judicii: & quia legem tulerit, qua Milonem liceat absolvi. tum consilium armorum exponit: quæ negat comparata esse ad judices terrendum: sed potiús ad confirmandum contra vim aduersariorum.

*Nec veró me, judices, Clodianum crimen movet: nec tam sum demens, tamq; vestri sensus ignarus atq; expers, ut nesciam quid de morte Clodii sentiatis. de qua si jam nollem ita diluere crimen, ut dilui: tamen impuné Miloni palám clamare atque mentiri gloriosé liceret: Occídi, occídi, non Sp. Melium, qui annona levanda, jacturaq; rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi: non Tib. Gracchum, qui collega magistratum per seditionem abrogavit; quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis sui gloria; sed eum (auderet enim dicere, quum patriam periculo suo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus sanctissimis nobilissimæ sceminae comprehenderunt; eum, cujus supplicio senatus solennes*  
*reli-*



religiones expiandas sæpè censuit: eum, quem cū so-  
 rore germana nefarium stuprum fecisse L. Lucullus  
 juratus se questionibus habitis dixit comperisse: eum,  
 qui civem, quem senatus, quem populus, quem omnes  
 gentes urbis ac vitæ civium conservatorem judica-  
 bant, servorum armis exterminavit: eum, qui regna  
 dedit, ademit: orbem terrarum quibuscum voluit,  
 partitus est: eum, qui pluribus cædibus in foro factis  
 singulari virtute & gloria civem domum vi & ar-  
 mis compulit: eum, cui nihil unquam nefas fuit nec  
in facinore, nec in libidine: eum, qui adem Nympha-  
 rum incendit, ut memoriam publicam recensio-  
 nis tabulis publicis impressam exstingueret. eum de-  
 nique, cui jam nulla lex erat, nullum civile jus, nulli  
 possessionum termini: qui non calumnia litium, non  
 injustis vindiciis ac sacramentis alienos fundos, sed  
 castris, exercitu, signis inferendis petebat: qui non  
 solum Etruscos ( eos enim penitus contemserat )  
 sed hunc Cn. Pompejum, virum fortissimum, atque  
 optimum civem, judicem nostrum pellere possessio-  
 nibus, armis, castrisque conatus est: qui cum archi-  
 tectis & decempedis villas multorum, hortosq; pera-  
 grabat: qui Ianiculo & Alpibus spem possessionum  
 terminabat suarum: qui cū ab equite Rom. splendido  
 & forti viro, T. Pacanio non impetrasset, ut sibi in-  
 sulam in lacu Precio venderet, repente lintribus in e-  
 am insulam materiem, calcem, camenta, arenam  
 convexit, dominoq; trans ripam inspectante, non  
 dubitavit adificium exstruere in alieno: qui huius



T. Furfanio, cui viro dii immortales (quid enim de muliercula Scantia, quid de adolescente Apronio dicam? quorum utrique mortem est minitatus, nisi hortorum possessione cessisset) sed ausus est Furfanio dicere, si sibi pecuniam, quantam poposcerat, non dedisset, mortuum se in domum ejus illaturum, qua invidia huic esset tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidelissima gratia, absentem de possessione fundi dejecit: qui parietem sic per vestibulum sororis instituit ducere, sic agere fundamenta, ut sororem non modò vestibulo, sed omni aditu & lumine privaret.

Transit ad alterum argumentum principale defensionis:

*Civis sceleratus jure occiditur.*

*Clodius fuit civis sceleratus.*

*Jure igitur à Milone est occisus.*

Assumptionem amplificat copiosa enumeratione scelerum Clodii: eaq; enumeratione exornat prosopopœia, qua introducit Milonem illa Clodii scelera commemorantem: quam commemorationem illustrat antithesi duorum exemplorum dissimilium, videlicet Sp. Melii & Tib. Gracchi, tanquam minus sceleratorum: exornat autem anaphora gemina, quarum prior octies repetit pronomen *eum*, altera septies pronomen *qui*. Estque in hac tam copiosa enumeratione pneuma, id est, spiritus oratorius.

*Quan-*



Quanquam hæc quidem jam tolerabilia videban-  
 tur: et si equaliter in remp. in privatos, in longinquos,  
 in propinquos, in alienos, in suos irruebat: sed nescio  
 quomodo jam usu obduruerat & percaluerat civita-  
 tis incredibilis patientia. Quæ veró aderant jam &  
 impendebant, quónam modo ea aut depellere potuis-  
 setis, aut ferre, imperium ille si nactus esset? Omitto  
 socios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim  
 feceratis, ut in eos se potius immitteret, quám in ve-  
 stras possessiones, vestra tecta, vestras pecunias: pecu-  
 nias dico? á liberis mediisfidius, á conjugibus vestris  
 nunquam ille effrenatas suas libidines cohibuisset.  
 Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota sunt omni-  
 bus, quæ tenentur: servorum exercitus illum in urbe  
 conscripturum fuisse, per quos totam remp. resq. pri-  
 vatas omnium possideret? Quamobrem, si cruentum  
 gladium tenens clamaret T. Annius: Adeste quæso,  
 atq. audite cives: P. Clodium interfeci: ejus furores,  
 quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare potera-  
 mus, hoc ferro, & hac dextra á cervicibus vestris re-  
 puli: per me unum, ut jus, æquitas, leges, libertas, pu-  
 dor, pudicitia, in civitate manerent: Esset veró timen-  
 dum, quónam modo id ferret civitas? nunc enim quis  
 est qui non probet? qui non laudet, qui non unum post  
 hominum memoriam, T. Annium plurimum reip.  
 profuisse, maxima letitia populum Rom. cunctam I-  
 talias, nationes omnes affecisse & dicat & sentiat?  
 Nequeo vetera illa populi Rom. quanta fuerint gau-  
 dia, indicare. multas tamen jam summorum impera-



torum clarissimas victorias atas nostra vidit: quarum nulla neq; tam diuturnam letitiã attulit, neq; tantam. Mandate hoc memoria, iudices. spero multa vos, liberosq; vestros in rep. bona esse visuros. in his singulis ita semper existimabitis, vivo P. Clodio nihil horũ vos visuros fuisse. in spem maximam, & quemadmodum confido, verissimã sumus adducti, hunc ipsum annum, hoc summo viro consule, compressa hominum licẽtia, cupiditatibus fractis, legibus & iudiciis constitutis, salutarem civitati fore. Num quis igitur est tam demens, qui hoc P. Clodio vivo contingere potuisse arbitretur? Quid? ea quæ tenetis, privata atq; vestra, dominante homine furioso, quod jus perpetua possessionis habere potuissent?

Transit ad ea scelera quæ facturum fuisset Clodius si diutiùs vixisset, & præturam fuisset consecutus: quæ amplificat collatione præcedẽtium ut minorum. item antithesi diverforum & alia collatione minorum per præteritionem. item prolepsis, quasi ista falso fingantur. Exornat autem istorum quoq; scelerum commemorationem profopopœia, qua Milonem loquentem introducit, & de cæde Clodii gloriantem. Quam gloriationem amplificat expositione iudicii populi Romani, factum Milonis approbantis. Tum hanc approbationem & letitiam ex Clodii cæde perceptã amplificat collatione minorum. Deinde causam ejus letitiæ exponit, videlicet  
spem



spem potiundi multis bonis, quibus vivo Clodio potiri non potuissent.

Non timeo, iudices, ne odio inimicitarum mearum inflammatus, libentius hac in illum evomere videar, quam verius. etenim et si precipuum esse debebat odium meum: tamen ita communis erat omnium ille hostis, ut in communi odio penè equaliter versaretur. non potest dici satis; ne cogitari quidem, quantum in illo sceleris, quantum exitii fuerit. Quin sic attendite, iudices: nēpe hac est q̄stio de interitu P. Clodii. Fingite animis (libera. n. sunt cogitationes nostrae; & quae volunt, sic intuentur, ut ea cernimus, quae videmus) Fingite igitur cogitatione imaginem huius conditionis meae: si possem efficere, ut Milonē absolvatis: sed ita, si P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuiſtis? quoniam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percussit? Quid si ipse Cn Pompejus, qui ea virtute ac fortuna est, ut ea potuerit semper, quae nemo praeter illum: si is, inquam, potuisset, ut questionē de morte P. Clodii ferre, sic ipsum ab inferis excitare: utrum putatis facturum fuisse? etiam si propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter remp. non fecisset. Ejus igitur mortis sedetis ultores, cuius vitā si putetis per vos restitui posse, nolitis: & de ejus nece lata quaestio est, qui si eadem lege reviviscere posset, lata lex nunquam esset. Huius ergo interfectōr nō esset etiam confitendo ab iis impetraturus, ne poenā timeret, quos liberavisset? Graeci homines deorum



*honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt: quæ ego vidi Athenis? quæ in aliis urbibus Græciæ? quas res divinas talibus institutas viris? quos cantus? quæ carmina? propè ad immortalitatem religione & memoria consecrantur. Vos tanti conservatorem populi, tanti sceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis, sed etiam ad supplicium rapi patiemini?*

Prolepsis, qua occurrit tacitæ reprehensionis privati odii: & affirmat, fuisse illud odium commune: causamq; communis hujus odii exponit, magnitudinem sceleris Clodii. & hoc ipsum probat ex effectu: videl. horrore judicum, quem fingit illis obortum ex imaginatione Clodii redivivi. item à judicio Pompeji: qui nollet si maximè posset Clodium in vitam revocare. Hinc deducit corollarium, cædem Clodii non esse à judicibus vindicandam: item alterum huic simile, Milonem non esse puniendum: quod ipsum amplificat collatione majoris, Milonem non solum non esse puniendum, sed etiam honoribus afficiendum. id quod confirmat judicio & exemplo Græcorum: qui tyrannidas præmiis maximis afficiant.

*Confiteretur, confiteretur, inquam, si fecisset, & magno animo, & libenter se fecisse libertatis omnium causa: quod esset ei non confitendum modò, verum etiam verè predicandum. Etenim si id non negat,*  
*ex*



ex quo nihil petit, nisi ut ignoscatur: dubitaret id fa-  
 teri, ex quo etiam præmia laudis essent petenda? Nisi  
 veró gratius putat esse vobis, sui se capitis, quàm vestrè  
 ordinis defensorem fuisse: cùm præsertim in ea con-  
 fessione, si grati esse velletis, honores assequeretur am-  
 plissimos: sin factum vobis non probaretur (quan-  
 quam quî poterat salus sua cuiquam non probari?)  
 sed tamen si minús fortissimi viri virtus civibus grata  
 cecidisset, magno animo constantiq; cederet ex ingra-  
 ta civitate, nam quid esset ingratius, quàm letari cæ-  
 teros, lugere eum solum, propter quem ceteri leta-  
 rentur? quanquam hoc animo semper fuimus omnes  
 in patriæ proditoribus opprimendis, ut, quoniam no-  
 stra esset futura gloria, periculum quoq; & invidiam  
 nostram putaremus. nam quæ mihi ipsi tribuendæ  
 laus esset, cùm tantū in consulatu meo pro vobis ac li-  
 beris vestris ausus essem, si id quod conabar, sine ma-  
 ximis dimicationibus meis me esse ausurum arbitra-  
 rer? quæ mulier sceleratum ac perniciosum civem oc-  
 cidere non auderet, si periculum non timeret? Propo-  
 sita invidia, morte, pœna, qui nihilo segnius rempub.  
 defendit, is vir veré putandus est. Populi grati est, præ-  
 miis afficere bene meritos de rep. cives: viri fortis, ne  
 suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse pœni-  
 teat. Quamobrem uteretur eadem confessione T. An-  
 nius, qua Ahala, qua Nasicæ, qua Opimius, qua Ma-  
 rius, qua nosmetipsi: & si grata resp. esset, letaretur:  
 si ingrata, tamen in gravi fortuna conscientia sua  
 niteretur.



Occasione proximę sententię redit ad crimen insidiarum: quod negat: eamq; negationem probat syllogismo connexo:

*Si Milo Clodium ex insidiis interfecisset, confiteretur.*

*At non confitetur.*

*Non igitur ex insidiis interfecit.*

Propositionis consequens amplificat collatione majoris: Nō solū cōfiteretur, sed etiā p̄dicaret. hanc amplificationē confirmat expositione cause. Quia fecisset libertatis omnium causa. Deinde propositionē probat á minori: Milo confitetur id quod petit ignosci, nempe Clodiū absq; suo jussu á servis occisum ad dominum defendēdum: Ergo multo magis confiteretur id, ex quo petere posset præmia laudis, nempe se occidisse Clodiū ex proposito ad defendendū ordinem senatorium, hoc enthymema exornat prolepsi ironica. Tum propositionem confirmat expositione eventorum per dilemma: In ea confessione aut honores assequeretur, si vos velletis esse grati: aut magno animo cederet ex civitate ingrata. Hujus dilemmatis partem posteriorem de ingratitude civitatis approbat ex cōtrariis eventis. Tū hujus oppositionis partem alterā de luctu Milonis amplificat correctione, & Milonē æquo animo invidiam istam subiturū fuisse, probat á genere: Prin-  
cipes



cipes omnes reip. Rom. hoc animo esse solēt in patrię proditoribus opprimendis, ut periculū quoq; & invidiam suam putent: Ergo & Milo hoc animo est. Hujus enthymematis antecedens primūm amplificat expositione causę, videl. glorię. deinde illustrat suo ipsius exemplo in opprimendo Catilina. tum illustrat expositione contrarii: Ignavi periculis in rebus præclaris deterrentur, fortes minime. postea virum fortem definit, & cū populo grato confert. Postremó inficiationem infidiarum cōcludit collatione similibus exemplorum, & dilemmatis repetitione.

*Sed hujus beneficii gratiam, judices, fortuna populi Rom. & vestra felicitas, & dii immortales sibi deberi putant. Nec veró quisquam aliter arbitrari potest, nisi qui nullam vim cœlestē esse ducit, numēne divinum, quem neq; imperii nostri magnitudo, neq; sol ille, nec cœli signorumq; motus, nec vicissitudines rerum atq; ordines movent, neq; id quod maximum est, majorum nostrorum sapientia; qui sacra, qui ceremonias, qui auspicia & ipsi sanctissimē coluerunt, & nobis suis posteris prodiderunt. Est, est profecto illa vis: neq; in his corporibus, atq; in hac imbecillitate nostra inest quiddam, quod vigeat & sentiat, & nō inest in hoc tãto natura tãq; præclaro motu. nisi forte iccirco esse nō putāt, quia nō apparet, nec cernitur: perinde quasi nostrā ipsam mentē, qua sapimus.*

84.

K iiij



qua providemus, qua hac ipsa agimus ac dicimus, vi-  
 dere, aut plané qualis, aut ubi sit, sentire possimus. Ea  
 vis est igitur ipsa, quæ sæpé incredibiles huic urbi fe-  
 licitates atq; opes attulit: quæ illam perniciem ex-  
 stinxit ac sustulit: cui primū mentem injecit, ut vi ir-  
 ritare, ferroq; laceffere fortissimum virum auderet,  
 vincereturq; ab eo, quem si vicisset, habiturus esset  
 impunitatem & licentiam sempiternam. Non est  
 humano consilio, ne mediocri quidem, iudices, deo-  
 rum immortalium cura, res illa perfectâ: religiones  
 mehercule ipse, aræq; cū illam belluam cadere vi-  
 derunt, commovisse se videntur, & jus in illo suum  
 retinuisse. Vos enim jam Albani tumuli atque luci,  
 vos, inquam, imploro atq; obtestor, vosq; Albanorum  
 obruta aræ, sacrorum populi Rom. sociæ & æquales,  
 quas ille præceps amentia casis prostratisq; sanctissi-  
 mis lucis, substructionum insanis molibus oppresse-  
 rat: vestra tum aræ, vestra religiones viguerunt, ve-  
 stra vis valuit, quam ille omni scelere polluerat: tuq;  
 ex tuo edito monte Latialis sancte Iupiter: cujus ille  
 lucos, nemora, finesq; sæpe omni nefario stupro & sce-  
 lere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos  
 aperuisti: vobis illæ, vobis, vestro in conspectu seræ, sed  
 justæ tamen & debitæ pœnæ solutæ sunt. nisi forté  
 hoc etiam casu factum esse dicemus, ut ante ipsum sa-  
 crarium Bonæ deæ, quod est in fundo T. Sextii Galli,  
 in primis honesti & ornati adolescentis, ante ipsam,  
 inquam, Bonam deam, cum prælium commisisset,  
 primū illud vulnus acciperet, quo ~~teterrimam mor-~~  
tem



~~tem obiret: ut non absolutus iudicio illo nefario videretur, sed ad hanc insignem poenam reservatus.~~ Nec veró non eadem ira deorum hanc ejus satellitibus injecit amentiam, ut sine imaginibus, sine cantu, sine ludis, sine exsequiis, sine lamentis, sine laudationibus, sine funere, oblitus cruore & luto, spoliatus illius supremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici solent, ambureretur abjectus. Non fuisse, credo, fas, clarissimorum virorũ formas illi teterrimo paricide aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potiús mortem ejus lacerari, quám in quo vita esset damnata. Dura mihi mediisfidius jam fortuna populi Rom. & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc remp. insultare pateretur. Polluerat stupro sanctissimas religiones: senatus gravissima decreta perfrerat: pecunia palám se á iudicibus redemerat: vexarat in tribunatu senatum: omnium ordinum consensu pro salute reip. gesta resciderat: me patria expulerat: bona diripuerat: domum incenderat: liberos, conjugem meam vexaverat: Cn. Pompejo nefarium bellum indixerat: magistratum privatorumq; cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vastarat Etruriam: multos sedibus ac fortunis ejecerat: instabat, urgebat: capere ejus amentiam civitas, Italia, provincia, regna non poterant. Incidebantur jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent: nihil erat cujusquam, quod quidem ille adamasset, quod non hoc anno suum fore putaret: obstabat ejus cogitationibus nemo, præter Milonem illum ipsum, qui poterat ob-



stare: Cn. Pöpejū novo reditu in gratiam sibi devinctū  
 arbitrabatur: Caesaris potentiam, suam potētiam es-  
 se dicebat: bonorum animos in meo casu contemserat:  
 Milo unus urgebat. Hic dii immortales, ut supra dixi,  
 mentem illi perdito ac furioso dederunt, ut huic face-  
 ret insidias: aliter perire pestis illa non potuit. Nun-  
quam illum resp. suo jure esset ulta.

Sequitur aliud argumentum defensionis,  
 quo cædis hujus causam in deos transfert,  
 quorum providentia mundus regatur. Est i-  
 gitur hoc argumentum á testimonio divino:  
 Dii Clodiū jure cæsum judicant: quippe qui  
 sua providentia illam procurarunt. jure igi-  
 tur Clodius á Milone cæsus est. Sed hinc no-  
 tandum, vitia hominum in agendo non recte  
excusari per providentiam Dei. Etsi enim  
nihil fiat absque providentia Dei: tamen ho-  
mines cum contra expressum Dei manda-  
tum agunt, peccant: nec dum peccant, pro-  
positum sibi habent ut obsequantur voluntati  
Dei, sed ut libidinem suam expleant. Transit  
 autem ad hanc de providentia deorum dispu-  
 tationem, per antithesin. nam in præcedenti-  
 bus negarat, Milonem verè gloriari posse de  
 Clodii cæde, quasi eum sponte liberandæ  
 reipub. causa occidisset: nunc contrá affir-  
 mat, hujus beneficii gratiam deberi fortunæ  
 populi Rom. & providentiæ deorum. Quam  
 sententiam probat á genere, id est, sententia



generali de providentia Dei, qua res omnes gubernentur, cum humanæ & civiles, tum naturales. Quam ipsam sententiam confirmat testimonio majorum: qui sapienter judicarint, deos ob curam rerum humanarum religiosè colendos esse. Deinde eandem de providentia deorum sententiam confirmat à minori: Corpus nostrum animi vi regitur: multo ergo magis hoc mundi corpus regitur divino numine. Tum sequitur prolepsis à numinis invisibilitate: quam refellit à pari, videlicet ab invisibilitate animi seu mètis humanæ: quam describit ex effectis. Postea conclusionem infert, Clodium vi providentiæ deorum occisum esse: & hoc ipsum declarat expositione causarum secundarum seu instrumètalium: quæ sunt duæ, propositum Clodii de occidendo Milone, & ejusdem occidendi conatus. Tum sententiam conclusionis illustrat antithesi, qua providentiæ divinæ opponit consilium humanum: eamq; antithesin amplificat collatione majoris, Ne mediocri quidè cura deorum hæc cædes facta est, sed magna cura & singulari; Ergo multo minús facta est consilio humano. Cujus enthymematis antecedens confirmat ab effectu, videlicet eventu ficto motarum ararum in Clodii cæde: ubi simul causam exponit quæ



deos impulerit ad hanc de Clodio pœnam  
sumendam, videlicet propter religiones ab  
illo violatas. quam expositionem exornat a-  
postrophe metaphora illustri, qua rebus  
inanimis sensum mentemque tribuit. Post-  
ea propositum, id est, Clodium providentia  
deorum occisum esse, probat á circumstan-  
tia loci: quia vulnus lethale acceperit ante  
sacrarium Bonæ deæ. Tum idem confirmat  
ab eventu, videlicet á neglectu usitatarum  
ceremoniarũ funeris. quarũ expositionem  
ornat epizeuxi: eumq; neglectũ amplificat  
collatione majoris: Ne inimici quidẽ negli-  
gent istas ceremonias: ergo multo minús a-  
mici Clodii negligere illas debuerunt. Tum  
illius neglectus causam exponit, videl. ipsam  
providentiam deorũ: cujus providentiæ ju-  
stitiã ostendit oppositione contrariorũ: op-  
ponens inter se fœditatẽ Clodii parricidæ, &  
decus ceremoniarũ funebrium, itẽ mortem  
Clodii & vitã. Deinde justitiam providentiæ  
divinæ in procuranda Clodii cæde, ostẽdit ex  
diuturna pœnæ cõmeritissimæ dilatione. Pœ-  
nam autem hãc meritissimã fuisse, probat e-  
numeratione facinorũ Clodii: Cui enumera-  
tioni annectit querelã de destitutione eorũ  
qui conatibus Clodii resisterent, solo Milone  
excepto. tũ ad expositionẽ causæ instrumen-  
talis redit, id est, insidiarum Clodii, quibus  
pro-



providentia deorū usa sit ad ipsius interitum. Deniq; hunc locum concludit admonitione necessitatis: necesse fuisse ut Clodius ad eum modum interiret, eó quód respub. nunquam illam suo jure ultra esset. ubi latet argumentum á distributione:

*Aut iure & consilio humano occidi oportuit Clodium, aut vi & providentia diuina.*

*At iure & consilio humano nunquã occisus fuisset.*

*Necesse igitur fuit, ut vi & providentia diuina occideretur.*

*Senatus, credo, prætorẽ eum circumscripsisset. Ne cùm solebat quidem id facere in privato eodẽ hoc, aliquid profecerat. An consules in prætore coërcẽdo fortes fuissent? primũ Milone occiso habuisset suos consules: deinde quis in eo prætore fortis consul esset, per quem tribunum, virum consularẽ crudelissimẽ necatum esse meminisset? omnia possideret, teneret: lege nova, quæ est inventa apud eum cũ reliquis legibus Clodianis, servos nostros libertos suos effecisset: postremo nisi eũ dii immortales in eam mentẽ impulissent, ut homo effœminatus fortissimũ virum conaretur occidere, hodie remp. nullam haberetis. An ille prætor, ille veró consul, si modó hæc templa, atq; ipsa mœnia stare eo vivo tam diu, & consulatum ejus expectare potuissent, ille denique vivus mali nihil fecisset, qui mortuus, uno ex suis satellitibus Sext. Clodio duce, curiam incenderit? Quo quid miserius, quid acerbius, quid luctuosius vidimus? templum sanctitatis, ampli-*



tudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram sociorum, portum omnium gentium, sedem ab universo populo Rom. concessam uni ordini inflammari, excindi, funestari? neque id fieri a multitudine imperita, quamquam esset miserum id ipsum, sed ab uno, qui cum tantum ausus sit ultro pro mortuo, quid signifer pro vivo non esset ausus? In curiam potissimum abiecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus everterat. Et sunt qui de via Appia querantur, taceant de curia? ecquando ab eo spirante forum putent potuisse defendi, cuius non restiterit cadaveri curia? Excitate, excitate eum, se potestis, ab inferis: frangetis impetum vivi, cuius vix sustinuitis furias insepulti? nisi verum sustinuitis eos, qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum fascibus ad Castoris, cum gladiis toto foro volitarunt. Cedi vidistis populum Rom. concionem gladiis disturbari, cum audiretur silentio M. Caelius trib. pleb. vir & in rep. fortissimus, & in suscepta causa firmissimus, & bonorum voluntati, & auctoritati senatus deditissimus, & in hac Milonis sive invidia, sive fortuna, singulari, divina, & incredibili.

Deinceps probat assumptionem syllogismi disjuncti: nepe nunquam futurum fuisse ut Clodius occideretur jure, & vindicta publica. quod probat a distributione ad hunc modum:

*Si futurum fuit ut Clodius vindicta publica coerceretur: necesse fuit ut aut praetorem eum circumscriberet senatus, aut coercerent consules.*

*At nec senatus eum praetorem circumscripsisset, nec consules in eo praetore coercendo fortes fuissent.*



*Ergo non fuit futurum ut Clodius vindicta publica coërceretur.*

Assumptionis partem priorē exornat ironia: & confirmat á majori: Ne privatum quidem circumscribere potuit: ergo multo minus prætorem circumscripsisset. Alteram assumptionis partem exornat interrogatione, quæ vim habet negandi: tum eam confirmat duobus argumentis: á causis impediētib; v3. consulum tunc futurorum erga Clodium benevolentia, & Clodii potentia. quam concludit ratiocinando á minori: Clodius tribunus crudelissimē vexavit virum consularem: Ergo multo magis prætor vexaturus fuisset cōsules. Tum redit ad divinationem futurorum facinorū Clodii, ubi nominatim legem quandā tyrannicam commemorat: nec non Clodii tyrannidem ab eventu amplificat. Porro divinationem suam de facinoribus Clodii confirmat expositione causæ, videlicet potentiæ tum prætorix tum consularis, item argumento á minori: Mortuus damno affecit (videl. incendio curiæ) remp. Ergo multo magis vivus. Porro incendiū hoc amplificat primū expositione adjunctorū tēpli Capitolini, tū incēsi, deinde expositione causæ efficientis .i. autoris incendii, per antithesin diversorum: is autem fuit Sext. Clodius: cuius audaciā per corollarium obiter tra-



ducit, ratiocinādo á minori: Pro mortuo tantum ausus est: Ergo plus esset ausus pro vivo. Tertió amplificat incendiū curiæ collatione similiarum & antithesi privantiū: Sicut Clodius vivus curiā evertit: sic mortuus eandem incendit. Quartó amplificat collatione minoris: Si querendum est de violata via Appia: igitur multo magis de incensa curia. Postea redit ad suam divinationē, per argumētationem á majori: Curia non restitit cadaveri Clodii: igitur multo minús forum potuisset ab eo defendi spirante. Tū annectit alterum enthymema ejusdem generis: Vix sustinuitis furias insepulti: igitur multo minús frangeretis impetum vivi. Cujus enthymematis antecedens illustrat expositione speciali furiosorum factorum á Clodianis in curia incendiā perpetratorum, quorū postremum, disturbance sc. concionis, amplificat ab illius adjuncto silentio, & concionantis tribuni plebis adjunctis virtutibus.

*Sed satis já multa de causa, extra causam etiā nimis fortasse multa. Quid restat, nisi ut orē, obtesterq; vos, iudices, ut eam misericordiam tribuatis fortissimo viro, quā ipse non implorat, ego etiam repugnante hoc, & imploro & exposco? Nolite, si in nostro omnium fletu nullam lacrymam aspexistis Milonis, si vultum semper eundem, si vocē, si orationem stabilem ac non mutatā videtis, hoc minús ei parcere: atq; haud scio,*  
an



an multo etiam sit adjuvāndus magis. Etenim si in gladiatoriis pugnis, & in infimi generis hominū conditione atq; fortuna timidos & supplices, & ut vivere liceat, obsecrantes, etiam odisse solemus: fortes & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes, servare cupimus: eorumq; nos magis miseret, qui nostram misericordiam non requirunt, quā qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortissimis civibus facere debemus? Me quidem, iudices, exanimāt & interimūt hęc voces Milonis, quas audio assidue, & quibus intersum quotidie: Valeant, inquit, valeant cives mei: sint incolumes, sint florētes, sint beati: stet hęc urbs præclara, mihiq; patria carissima: quoquo modo merita de me erit: tranquilla rep. cives mei (quoniam mihi cum illis non licet) sine me ipsi, sed per me tamen, perfruantur: ego cedam atq; abibo. si mihi rep. bona frui non licuerit, at carebo mala; & quā primum tetigero bene moratam & liberam civitatem, in ea conquiescam. O frustra, inquit, suscepti mei labores: ô spes fallaces: ô cogitationes inanes meæ. Ego, cū tribunus pleb. rep. oppressa me senatui dedissem, quem extinctum acceperam: equitibus Rom. quorū vires erant debiles: bonis viris, qui omnē auctoritatē Clodianis armis abjecerant: mihi unquam bonorū presidium de futurum putarem? Ego cū te (mecum enim sapissimē loquitur) patriæ reddidissem, mihi futurum in patria nō putarem locum? Vbi nunc senatus, quem secuti sumus? ubi equites Rom. illi, illi, inquit, tui? ubi studia municipiorum? ubi Italiae voces? ubi deniq; tua M. Tulli, quæ

L



35.

plurimis fuit auxilio, vox atque defensio? mihi ne ea  
 soli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil potest opi-  
 tulari? Nec veró hæc, iudices, ut ego nūc, flens, sed hoc  
 eodem loquitur, vultu, quo videtis. negat. n. se, negat  
 ingratis civibus fecisse, quæ fecerit: timidis, in omnia  
 circumspicientibus pericula, non negat. plebem & in-  
 fimam multitudinem, quæ Sex. Clodio duce fortunis  
 vestris imminebat, eam, quo tutior esset vita vestra, se  
 fecisse commemorat, ut non modó virtute flecteret,  
 sed etiam tribus suis patrimonis deliniret: nec timet,  
 ne, cum plebem muneribus placarit, vos non conci-  
 liarit meritis in rempub. singularibus: senatus erga  
 se benevolentiam temporibus his ipsis sæpé esse per-  
 spectam: vestras veró, & vestrorum ordinum occur-  
 sationes, studia, sermones, quemcunque cursum for-  
 tuna dederit, secum se ablaturum esse dicit. Meminit  
 etiam sibi vocem præconis modó defuisse, quã minimé  
 desiderarit: populi veró cunctis suffragiis, quod unum  
 cupierit, se consulem declaratum: nunc denique si  
 hæc arma contra se sint futura, sibi facinoris suspi-  
 cionem, non facti crimen obstare. Addit hæc, quæ cer-  
 té vera sunt: fortes & sapientes viros non tam præmia  
sequi solere recte factorum, quam ipsa recte facta: se  
 nihil in vita nisi præclarissimé fecisse, siquidem nihil  
 sit præstabilius viro, quam periculis patriam liberare:  
 beatos esse, quibus ea res honori fuerit á suis civibus:  
 nec tamen eos miseros, qui beneficio cives suos vice-  
 rint: Sed tamen ex omnibus præmiis virtutis, si esset  
habenda ratio præmiorum, amplissimū esse præmium  
 glo-



*gloriā: esse hāc unā, quæ brevitatem vitæ posteritatis  
 memoria consolaretur: quæ efficeret, ut absentes ad-  
 essemus, mortui viveremus: hāc deniq; esse, cujus gra-  
 dibus etiā in cælū homines ascendere videantur. De  
 me, inquit, semper populus Rom. semper omnes gentes  
 loquentur, nulla unquam obmutescet vetustas. quin  
 hoc tempore ipso, cū omnes à tuis inimicis faces  
 invidia mihi subjiciuntur, tamen omni in hominum  
 cœtu gratis agendis, & gratulationibus habendis,  
 & omni sermone celebramur. Omitto Etruriæ festos  
 & actos & institutos dies. centesima lux est hæc ab  
 interitu P. Clodii, & opinor, altera: ultrā quā fines  
 imperii populi Rom. sunt, non solū fama jam de illo,  
 sed etiam letitia peragravit. Quamobrem, ubi corpus  
 hoc sit, nō, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris  
 & jam versatur, & semper habitabit nominis meæ  
 gloria.*

Sequitur peroratio, ubi orat iudices, ut  
 reo misericordiam tribuant, ac proinde eum  
 absolvant. Hujus autem petitionis seu de-  
 precationis causas impulsivas exponit vari-  
 as: quarum aliæ à persona Milonis, aliæ à  
 persona ipsius oratoris sumtæ sunt. posteri-  
 us ibi, *Hæc tu mecum sæpe*. In persona Milonis  
 exponit partim ipsius fortitudinem, partim  
 merita erga rempublicam. Transit autem  
 ad hanc deprecationem per correctionem,  
 qua præcedentem locū quasi abrumpit. Pro-  
 positionem hujus deprecationis amplificat



prolepsi á Milonis fortitudine: ad quod argumentum respondet inversione: Milonē propter fortitudinem non solū non cōdemnandum, sed multo magis adjuvādum. Hoc probat á minori: Etiam servos fortes in pugnis gladiatoriiis servare cupimus: ergo multo magis hoc facere debemus in fortissimis civibus. Hujus enthymematis antecedens illustrat antithesi adverforū: Servos timidos in pugnis gladiatoriiis solemus odisse: at fortes cupimus servare. Deinde Milonis fortitudinem ostendit expositione effectorum, videlicet vocum quas ipse ex eo quotidie audiat. Quarum vocum commemorationē exornat propopœia perfecta seu directa. Primæ vocis sententia est, Se non invidere civibus suis incolumitatem ipsorum, nec ulturū injuriam: sed forti animo in exilium abiturum. Hæc sentētia illustratur antithesi, qua Milo inter se opponit cives suos & seipsum: item exornatur epizeuxi & permissione. Secūdæ vocis sententia continet consolationem: se cariturum repub. mala, & conquieturū in terra aliqua bene morata & libera civitate. hæc sententia exornata est prolepsi. Tertia vox cōtinet querelam de frustrata sua spe, & de ingratitude senatus & equitum erga sua merita. hæc querela exornata est exclamatione. Quarta vox cōmemorat meritum speciale  
 resti-




N 22 120

X 220 3477



122 120





1980 Ab. 209  
**IN ORATIO**  
NEM CICERONIS  
PROMILONE

COMMENTARIUS IOAN-  
*nis Piscatoris Argentinensis.*



HERBORNÆ  
Apud Christophorum Corvinum.

M. D. LXXXVII.

*R. 210*

